

LYCEUM PATAVINUM;

Siue

ICONES ET VITÆ PROFESSORUM,

PATAVII, MDCLXXXII. PUBLICE DOCENTIUM.

PARS PRIOR,

Theologos, Philosophos & Medicos complectens.


PER


CAROLUM PATINUM, EQ. D. M.

DOCTOREM MEDICUM PARISIENSEM,

Primarium Chirurgiæ Professorem.







PATAVII, MDCLXXXII.


Typis Petri Mariæ Frambotti. *Superiorum permissu.*

Οὐχ ὁ μακρότατος βίος ἄριστος, ἀλλ᾽ ὁ σπουδαιότατος: Non longiſſima vita optima, ſed honeſtiſſima.

Plutarchus, in conſol. ad Apollonium.

Quæris quod ſit ampliſſimum vitæ ſpatium? Vſque ad ſapientiam viuere.

Seneca, epiſt. 93.





ILLVSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

Archi-Lycei Patauini Moderatoribus,

D. HIERONYMO BASADONNA,

D. LEONARDO PISAVRO, D. M. PROC.

D. IOANNI MAVROCENO, EQ. ET D. M. PROC.

Patronis ſuis benigniſsimis.

CAROLVS PATINVS.

X quo Fortuna, incertum an propitia vel aduerſa, me his terris applicuit, licuitque poſt longam peregrinationem Sereniſſimæ Venetæ Reipublicæ inuiolatam hactenus maieſtatem adorare, & loci Genium cum aliarum prouinciarum ſorte conferre, nihil ægriùs tuli, quàm iniquiſſimas eorum querelas, qui è paternis focis nunquam diuulſi, & anteacti temporis penitus incurioſi, audent tamen ſæculum incuſare, tanquam ingeniorum ſterile, atque

incondita barbarie involutum, vix solùm ad suorum Maiorum memoriam suspiraret.

Non potui mihi diutiùs temperare, quin istis sepultæ tantùm virtutis admiratoribus inertiam suam, ne dicam malignitatem obijcerem; neque id aliter meliùs fieri posse putavi, quàm si illos eosdem viros obtruderem, propter quos hæc ætas quantumvis laudatæ antiquitati non invideat. Isti autem sunt quibus PATAVINI LYCEI decus in præsens consistit, magni quidem viri (si me vnum excipiatis) & ad intermorientium litterarum subsidium geniti, sed quos liberalitate vestra majores Vos effecistis. Vt sicuti vectores Alexandrinæ nauis, Augusto Puteolanum sinum prætervehenti, candidati, coronatique & thura libantes, fausta omnia & eximias laudes congesserunt, *Per illum se viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum vti*: Ita illi potiori jure vobis ingeminent, PER VOS VIVIMVS, PER VOS SAPIMVS, PER VOS NOMINIS FAMAM IN OMNES GENTES EXTENDIMVS.

Hoc igitur vestri beneficij præmium, AMPLISSIMI PROCERES, clementer accipite. Quem illis spiritum & sanguinem immensa benignitate infudistis, jam plenus gloria atque æternitati sacer rursus in Vos recedit. Vtrum majus sit, an quod Vos datis, an quod illi rependunt, incertum est. At dummodo vtrumque nomen Fama per populos spargat, parùm interest si in dubio apud Posteros futurum sit, vtrum alteri immortalitatem debeat.

E Musæo Patavino, Kal. Iunijs, MDCLXXXII.



PRÆFATIO.



Vm bene factum fore mihi persuasissem, posterorum utilitati, & curiositati consulens, Professorum aliquot vitas describere, duo in limine mihi obstare visa sunt, quibus consilium pœnè disiectum fuit. Vnum erat, imperfectas fore omnes, & cuique suprema majoris momenti facinora desutura. Vt enim ante mortem nemo beatus, sic ante mortem nullus egregiè describi potest, Solone talia Crœsum docente, apud Plutarchum. Ὁ δὲ ζῶντος ἔτι καὶ κινδυνεύοντος ἐν τῷ βίῳ μακαρισμὸς ὥσπερ ἀγωνιζομένου καὶ στεφανὸς ἐστὶν ἀβέβαιος καὶ ἄκυρος. *Alterum imprudentiam meam carpebat, quæ hos illis præferens, coeteros hominum memoria aut indignos, aut saltem minùs dignos esse arguebat.*

Primo modum intuli, dum cuiquam quidlibet addere permittens, ea scribere institui, quæ aut mihi plane innotescerent, aut à probatis viris testibusq; fide dignis mihi communicata essent. Nec sanè absque prævio consilio id à me statutum est, cùm plurima peritura vererer, quæ nisi a vivis ita extorqueantur, sepulta & æternùm ignota jacerent. Alteræ difficultati talem adhibui medicinam, non aliquot tantùm Professorum, sed omnium nunc viuentium res gestas scitu & memoria dignas, quantum mihi notæ forent, scriptis meis consignando: Quò & omnem querimoniæ ansam amouisse, & libello venustatem conciliasse me opinor.

Duæ grauiores remoræ opus meditanti mihi præterea occurrerunt; Negotium prius facessebat, quisnam foret ipsi titulus! Quo enim majori autoritate cum constituere poteram, eo majori industria allaborandum duxi, ne vitio verteretur. GYMNASIVM PATAVINVM ediderat Æmoniensis Episcopus, Iac. Philippus Tomasinus, innumeris documentis ad ipsum pertinentibus refertum: Sed quantum ab eius consilio distat meum hoc intentum, cùm vix

vlla ad hanc rem inseruerim quæ præterea totum hominem desiderant. Majorem destinaueram similitudinem cum eiusdem Præsulis opera, cui titulum dederat, ELOGIA VIRORVM LITERIS ET SAPIENTIA ILLVSTRIVM &c. At cùm ille omnis ferè conditionis homines descripserit idque elegantissimo modo obierit, Ego verò de solis docentibus Patauinis Professoribus cogitauerim, facili familiarique stilo designandis, alteri titulo inhærendum esse duxi. Nec me monuit is cuius ob eodem titulus impositus est PARNASSVS EVGANEVS, SIVE DE SCRIPTORIBVS AC LITERATIS HVIVS SÆCVLI CLARIS, cum plerosque professores hic edendos Patauij natos non esse constet, nec nisi ad docendas disciplinas Patauium a Serenissima R. P. accitos.

Propior erat quem Leidensis Academiæ descriptioni præfixit Io. Meursius ATHENAS ille BATAVAS in lucem edidit, eo ferè consilio quo Episc. Tomasinus suum GYMNASIVM PATAVINVM, sed additis ad amussim Professorum vitis, qui tunc temporis in ea Academia docebant, aut qui jampridem clarnerant, pluribus etiam adjunctis politicis commentarijs istius Academiæ historiam illustrantibus.

Alium ergo cudere decreuimus & LYCEVM PATAVINVM cæteris prætulimus. Appellatio vtrobique vetustissima est; Quid enim Patauio aut Liceo antiquius? Vrbem Trojanis Proceribus sua debere cunabula omnium in confesso est. Lyceum verò partem fuisse Academiæ illius ad locum nemorosum sitæ, in Athenarum suburbio prisci autores tradunt: atque hoc ab Aristotele XIII annis nobilitatum fuisse, qui ibi περίπατον elegerat. In eo scribit Diogenes Laertius, vsque ad vnctionem deambulando cum discipulis philosophari solitum, & inde peripateticum appellatum esse. *Quod Patauinis Professoribus exemplum fortè dedit, præscriptam sibi docendi horam in superiori inferiorique porticu columnis ornata deambulantibus cum amicis studiosisque auditoribus expectare. Neque plurimum refert Academiæ atque Lycei nomina ita plerumque confusa fuisse, vt alterutro eadem expressa fuerint: quamuis enim superiorem partem alteri, alteri inferiorem assignent scriptores, Academiam constat platanis & oliuis consitam, & ex Ouidio,* cultum arbustis Lyceum fuisse; *quæ certè inferiorem stationem declararent, nisi ea vt minoris momenti, grammaticis meris discutienda relinqueremus. Hoc vno Suidæ testimonio vtrumque intelligemus:* λέγεται Ἀκαδημία ἡ τῶν φιλῶν διατριβή: *Certè vtrumq; confudisse videtur Cicero, de Orat.* Et longè Academiæ illi ac Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium antepono. *Sed de his satis.*

Difficultatum maxima ordinem spectabat quo quisque disponeretur; vt enim varia sunt iura quæ talem suadeant dispositionem, sic qui velit suo iure cedere rarus occurrit. Meum non est hasce componere lites; & quò me ab omni accusatione expediam, summas tres iuris species declarare animus est, quibus honoratioris seu prioris ordinis prærogatiuam fulcire vnicuique conceditur.

Prima est ex Indice typis mandato, Rectorum vrbis imò & III virorum

Moderatorum auctoritate, qui singulis annis de nouo conficitur, vt pracisè ab eo quisque dies horasue lectionum doceatur, omnibusque pateat ea disciplinarum pars quam quisque Professor suo tempore iuxta Senatusconsulta explicaturus est. Eius commodo fit vt illius paginæ intuitu studiosi è quantumuis dissitis locis ad nos aduentantes, norint qui sint lectiones habituri, quibus diebus, quibus horis, quales Autores, atque etiam quales sint horum tractatus explicandi: Sic fit vt absque altera præconij formula, Collegium frequentissimis Auditoribus refertum sit, interdum omnimodè vacuum. Sed enarratum huius Indicis commodum ad vsus nostros validissimas ob rationes extendi non potest, cùm præterea indicandis potiùs studiorum argumentis quàm Professoribus ordinandis cusus sit. Hunc porrò qualis autoritate publica omnium manibus teritur, hic etiam exponere statuimus.

In nomine Domini Iesu Christi: Amen.

GENERALE ac nouum principium Interpretationum Nobilissimæ & Florentissimæ Academiæ Patauinæ D. D. Artistarum, Anno 1681. & 1682. Feliciter incipiet die V. Nouembris, sub felicibus auspicijs Illustrissimorum & Excellentissimorum D. D. ANTONII BASADONNA, pro Serenifs. Repub. Veneta Prætoris, & LAVRENTII SVPERANTII Præfecti Pataurj, nec non Illustrifs. ac Generosifs. D. IOSEPHI MARTINI EISENSCHMID, Nob. Carinthi, almæ Vniuersitatis D. D. Theologorum, Philosophorum & Medicorum Pro-Syndici dignissimi.

Aggredientur infrascripti D. D. explicando infrascripta.

Ad Theologiam in via S. Thomæ.
R. P. D. M. Serafinus Piccinardi, Brixiensis, Ord. Prædicatorum.
Ad Theologiam in via Scoti.
R. P. D. M. Felix Rotondi à Monte Leone, Ord. Min. Con.
— Leg. Primum Sententiarum; Hora tertia matutina.

Ad Lecturam Sacræ Scripturæ.
R. P. D. Io: Hieronymus Testorius, Niciensis, Mon. S. Iustinæ Ord. S. Benedicti.
— Interpretabitur Iosuè, & Iudices, Hora prima matutina diebus vacantibus.

Ad Metaphysicam in via S. Thomæ.
R. P. D. M. Nicolaus Arnou, Lotharingus, Ord. Prædicatorum.
— Leg. Secundum Metaphysicorum Arist. Hora secunda matutina.

Ad Metaphysicam in via Scoti. R.P. D. Antonius Maria Venetus ex Cœtu Min. Obser. S. Francisci.	Idem.
Ad Theoricam ordinariam Medicinæ. Exc. D. Hieronymus Frigimelica Robertus, Pat. Comes, & Eq. in primo loco. *Nec non de Pulsibus, & Vrinis in Xenodochio, diebus vacantibus.* Exc. D. Pompilius Scotus, Patauinus, in secundo loco.	Leg. Aphorismos Hippocratis, Hora prima matutina.
Ad Practicam ordinariam Medicinæ. Primus locus vacat. Exc. D. Georgius à Turre, Patauinus, in secundo loco.	Leg. de Febribus, Hora prima pomeridiana.
Ad Philosophiam Ordinariam. Exc. D. Carolus Rinaldinus, Anconitanus, in primo loco. R. P. D. Vitalis Terra Rubea, Parmensis, Prior Casin. Ord. S. Bened. in secundo loco.	Leg. Octauum Librum Physicorum, Hora secunda pomeridiana.
Ad Anatomen Ordinariam. Exc. D. Iacobus Pighi, Veronensis, Medicus Cæsareus in primo loco. Exc. D. Antonius de Marchetis, Patauinus, in secundo loco.	Administrabunt Anatomen die, ac tempore debito, hora tertia matutina.
Ad Theoricam Extraordinariam Medic. Exc. D. Alexander Borromæus, Patauinus, Comes, in primo loco. Exc. D. Ermenegildus Pera, Foroiuliensis, ex Portu Buffoleto in secundo loco. Exc. D. Solimanus Militia de Brazolo Patauino in tertio loco.	Leg. Primam Fen Auicennæ in pulsatione campanæ pomeridiana.
Ad Practicam Extraordinariam Medic. Exc. D. Dominicus de Marchetis, Patauinus, in primo loco. Exc. D. Angelus Montagnana, Patauinus, in secundo loco. Exc. D. Octauius Sauiolus, Patauinus in tertio loco.	Leg. de Morbis particularibus à Corde infra, Hora secunda matutina.

Ad Philosophiam extraordinariam,

Exc. D. Nicolaus Calliachius, Cretensis, in primo loco.
Exc. D. Ioannes Cicala, Cyprius, in secundo loco.
R. P. D. M. Adrianus à Sancta Iuliana, Patauinus, in tertio loco.
} Leg. primum, & secundum librum Physicorum, Hora prima vespertina.

Ad Lecturam Philosophiæ Moralis.

R. & Exc. D. Ioseph Carlottus, Corsus, Canonicus Patauinus.
} Explicabit primum librum Ethicorum, Hora prima pomeridiana, diebus vacantibus.

Ad Lecturam Astronomiæ, & Meteororum.

Exc. D. Geminianus Montanarius, Mutinensis.
} Exponet, ac quæstionibus Physicis Astronomicisque ornabit Lib. 2. Meteor. Arist. Hora 3. matutina.

Ad Lecturam Chirurgiæ Ordinariam.

Exc. D. Carolus Patinus, Parisinus, Eques, in primo loco.
Exc. D. Michael Angelus Molinettus, Venetus, in secundo loco.
} Leg. de Vlceribus, Hora tertia matutina.

Ad Lecturam Simplicium.

Exc. D. Hilarius Spinellus, Patauinus.
} Leg. de Medicamentis purgantibus, in pulsatione campanæ matutina.

Ad Ostensionem Simplicium.

Exc. D. Georgius à Turre, Patauinus, simul cum Exc. D. Iacobo Pighi, Veronensi, Medico Cæsareo.
} In Horto incip. die secunda Maij, Hora 22.

Ad Theoricam extraordinariam, diebus vacantibus.

Exc. D. Georgius Calafatti, Cydonius.
} Leg. Artem. paruam Galeni, hora secunda pomeridiana diebus vacantibus.

Ad Lecturam tertij libri Auicennæ.

Exc. D. Sebastianus Scarabiccius, Patauinus, in primo loco.
Exc. D. Augustinus Piuati, Asoliensis, in secundo loco.
} Leg. de Morbis particularibus à Capite vsq; ad Cor, Hora prima matutina diebus vacantibus.

Ad Logicam.

Exc. D. Albanius Albanesius Patauinus, in primo loco.
} Leg. Secundum Posteriorum Arist. Hora prima matutina.

Secundus locus Vacat.

R. P. D. Iordanus Iordani, Patauinus Ord. Prædicatorum, in tertio loco.

Ad Mathematicam.

R. D. Stephanus de Angelis, Venetus.
} Explicabit Euclidis elementa Hora 3. vespertina.

Ad Humanitatem Græcam & Latinam. R. & Exc. D. Octauius Ferrarius Mediolanensis.	}	Interpretabitur Iuuenalem, & Epigrammata Græca, Hora secunda matutina.

Secunda juris ratio ab institutione Collegij Veneti deducta est. Cùm enim incliti hujus Lycei fama latè per orbem diuulgata esset, accederentque Patauium omnis ferè nationis homines, præstantiorum litterarum cultores, doctoratus lauream postulantes; Iussit Serenissimus Princeps vt in horum gratiam, majori ne indulgentia aut clementia, Collegium (cui ab auctoritate nomen) Venetum excitaretur, an. MDCXVI. in quo præuijs examinibus approbati, doctoratus lauream susciperent, ijsdem ferè cerimonijs ac in veteri Patauino Collegio, concessis vtrobique amplissimis priuilegijs. A quo nullus elabitur annus quin ad id accedant exteri plurimi, ij præterea quibus id priuilegij datum est, Germani præcipuè & Græci, quos hic omni gratia, omnique fauore excipi nullus est qui non animaduertat. De Collegio Veneto plura leguntur in Commentarijs Tomasini, lib. 1. cap. 57. *Ad rem nostram hoc est ad Professorum ordinem id solùm spectat, quatuor omnium Professores, horumque vt vocant* Concurrentes, *Serenissimi Principis autoritate Collegium Venetum constituere, & laureandorum tum examinatores tum judices esse, vno ex illis, atque id vicibus, lauream Promotoris titulo, conferente. Ex quatuor solis primarijs vnus est triennali periodo alternandus, quem Collegij Præsidem nuncupant, quòd ei in omnibus præsit: Ii omnes, excepto solo Promotore, suffragia secreto modo, manu in cistulam lapillum projciente ferunt, quorum si major numerus in viridi pixide reperiatur, reprobationis index est: Si verò omnes aut vno aut altero deficiente, in rubram injecti sint, laureandi honorificentissimè, & vt vulgò dicitur,* nemine penitus dissentiente *admittuntur: Quòd si è septem lapillis tres reperiantur in viridi, & quatuor tantùm in rubra pixide, admittitur quidem laureandus, sed immi-nuto paululum honore, tuncque* pro majori parte *receptus proclamatur. Vacantibus autem quibusdam è superioribus Professoribus, seu morte, seu morbo, seu absentia, sufficiuntur Senatus-consulto ad id lato, qui cathedras obtinent superiores, eo ordine quem ad majorem rei intelligentiam hic transcri-bendum curauimus.*

1 Hier. Frigimelica.
2 Car. Renaldinus.
3 Iac. Pighius.
4 Pomp. Scotus.
5 Georg. a Turre.
6 Ant. de Marchetis.
7 Alex. Borromeus.
8 Domin. de Marchetis.
9 Nicol. Calliachius.
10 Carolus Patinus.
11 Hermen. Pera.
12 Ang. Montagnana.
13 Ioan. Cicala.
14 Gem. Montanarius.

15 Mich. Ang. Molinettus. 18 Seb. Scarabiccius.
16 Hilar. Spinellus. 19 Alb. Albanesius.
17 Georg. Calafatti. 20

Non desunt grauissima argumenta cur hunc ordinem, in edendo opusculo, sequuti non fuerimus, sed alteri tertio inhæserimus, qui præterea simplicior seu facilior visus est. Is absque vllius fauore aut detrimento a nobis eligitur, juxta tempus quo quisque Professor Sereniss. Reipublicæ Venetæ primò nomen dedit: Quo præterea posterorum commodo consuluisse nobis visum est, qui jam editis, Professores futuros juxta eorum promotionem facilè collocare poterunt. Quòd si quis neque hoc modo sibi satisfactum putet, me quæso infra Iouem collocatum esse recordetur, qui omnibus placere nequiuit; Iniuriam porrò sibi vt opinatur illatam facilè reparauerit, si iconem suam cum vita quò volet, detulerit; mihi quippe perinde sunt hæc omnia, quorum tantam scripsisse mentionem pœnè pudet.

Id demum nescire Te nollem, Amice Lector, Quatuor esse, inter nostros hos Professores, quos in tertio loco *docentes designat prior tabella, qui nulla gaudent autoritate in posteriori. Eos porrò, quibusdam etsi dissuadentibus, opusculo nostro inserere consultum existimauimus. Quamuis enim a Serenifs. Principe electi non sint, eius tamen auctoritate docent, eodem in loco, ijsdemque horis, & Professorum publicorum nomine gaudent; quibus de causis eos prætermittere noluimus.*

Lubenti animo Professoribus nostris eximium virum adjecissem, cujus opera Lyceo Patauino admodum necessaria est. Quia tamen ea à publico docendi munere aliena est, satius facere opinatus sum, qualis illa & qualis ille sit, hic apponere. Publicam gymnasij bibliothecam an. MDCXXIX. erectam, curis Professoris Felicis Osij commissam fuisse narrat Tomasinus, cap. LXXIII. *Ampliatam postea Eq. Siluatici, Cremonini, Co: Pomp. Caimi Professorum bibliothecis curauit Alex. Syncliticus, & post eius obitum, Octauius Ferrarius, ille legum hic eloquentiæ Professor: Oct. Ferrario successit Thomas Herculanus, Sacræ Theologiæ Doctor, Collegiatus, metropolitanæ Aquileiensis Canonicus, vir vt doctissimus sic humanissimus, aquè moribus ac bonis litteris par animi candori: Quibus cum viris vtrique præclarissimis se gratum fecerit in eorum patrocinijs & amicitijs longa consuetudine consenuit, sub cujus tutela bibliotheca libris optimis instrumentisque mathematicis alijsque ad rem litterariam pertinentibus in dies augeri & accrescere exultant viri eruditi; quibus & ipse illuc aduenientibus eruditam pariter nauat operam, diligentiæ & humanitati semper intentus.*

Horum te inscium non esse desiderabam, Amice Lector, Vale.

HIERONYMVS FRIGIMELICA.



IERONYMI Comitis FRIGIMELICA ROBERTI, Patritij Patauini, Serenissimi Senatus Equitis, theoricæ medicinæ primarij Professoris, Veneti Collegij nunc Præsidis, imaginem aduersa exhibet tabula. Vetere & illustri familia ortus, inter auorum clarissimas imagines, quibus tot sæculorum testimonio sexcentis abhinc annis atria nobilitantur, aliquid etiam nobilius auere ausus est. Siquidem non ornari se magis præclarissima virtutum serie, quàm ad gloriam excitari ratus, totam ingenij vim, quæ summa in eo est, ad laudem adipiscendam adplicuit. Hinc parem natalibus animum, dignos animo nactus mores, transactâ per omnem honestarum artium cultum adolescentiâ, cumulatissimam bonis omnibus senectutem adeptus est. Gymnasium sic doctissimis lucubrationibus, nouem & quadraginta ampliùs annos honestauit, vt miro Senatus consensu, primam in eo sedem, primus omnium qui Patauij nati sunt, obtinuerit, exteris nationibus Germanicæ ac Polonicæ præsidio imploratus atque accitus. Patriam consilio, sermone, opere adjuuit, splendidissi-

HIERONYM. FRIGIMELICA ROBERTVS, PAT. COMES ET EQVES, PRIM. THEORICAE PROF.

Marbois Gall. ad vivum sculp.

maque legatione ad Serenifs. Nicolaum Sagredum æterni nominis Principem, illuftrauit. Familiam fpe-ctatiffimam nouis titulis, nouis opibus auxit, clariffima mifcuit junxitque nomina; ædibus ac villis magnificè ornauit, & magnis Italiæ Principibus non modò exce-ptus hofpitio, fed hofpitio exceptis, dignitatem quam auxerat, prouexit. Imbecillem Naturam ita diui-næ artis myfterijs, abditaque rerum inueftigatione tutatus eft dudum, tueturque, vt ad ejus opem Augufti fæpè Cæfares confugerint, quorum Inuictiffimus Leo-poldus tanto cum honore profequutus eft, vt ipfæ imperatoriæ majeftatis infignia, bicipitem aquilam, ad eum amplificandum augendumque fpontè obtulerit. Ita demum vniuerfæ propè Europæ faluberrimis ref-ponfis, quæ hinc tanquam ex oraculo poftulantur, opitulatus eft, vt non immeritò non paucorum homi-num beneficio natus videatur. Id etiam quod fummum eft præftitit, dum ne aliquando defideraretur profpe-xit: Siquidem Nepotem fuo nomine, fuo ingenio donatum, fic moribus & literis inftituit, ne vnquam fublatus videri poffit.

Natus eft anno MDCXI., Febr. XVIII. Doctor MDCXXIX., & Profeffor MDCXXXIII.

OCTAVIVS FERRARIVS.



CTAVIVS FERRARIVS natus est Mediolani an. MDCVII. die dominico, XX. Maij, gente patricia, quod amplissimo testimonio comprobatum est a Præsidibus & Senatu Regio Id. Aug. MDCLXXV. Ea litteratis hominibus semper floruit, præsertim Hieronymo & hujus filio Octauiano, græcis & latinis litteris, varijsque libris editis eximio. Deinde Francisco Bernardino Octauij patruo, quem eruditione summum tum fama tum quæ exstant ejus volumina, deprædicant.

Quadrimus patre orbatus apud eumdem patruum diligentissimè educatus est; mox inter Collegij Ambrosiani Doctores, Federico Cardinali Borromeo commendatus, qui perspecta pueri indole, vt largiùs græca latinaque litteratura imbueretur, in magnum Ephæbeum transtulit, vbi mira felicitate confecto Philosophiæ & Theologiæ curriculo, se totum ad humaniores litteras transtulit. Grandior factus ita sibi Purpurati Principis optimi gratiam & beneuolentiam conciliauit, vt ille neminem chariorem haberet, qui cum fessum curis animum leuaret, plura

OCTAVIUS FERRARIUS, MEDIOLANENSIS, ELOQUENTIÆ PROFESSOR

confessus senex a juuene didicisse.

Alterum ac vigesimum annum agens in Ambrosianum Collegium quod tunc erat Italiæ florentissimum adscitus, in docendæ Rhetoricæ munere semper cum latinis græca conjungens, eruditionis & ingenij gloria cæteris contigit antecellere. Cujus rei fama septimo & vigesimo ætatis anno Christi scilicet MDCXXXIV. quingentorum Ducatorum stipendio allectus est a Veneta Republica, vt in Archi-gymnasio Patauino, Eloquentiam & Politicam, græcasque litteras profiteretur.

Quam ille scholam nescio quo litterarum fato, & temporum injuria jam pridem prope lapsam, non sustinuit modò, sed arte, ingenio, industria, labore, & diligentia præter spem erexit, atque reparato antiquæ doctrinæ studio, supra ceteras hujusce sortis scholas extulit. Quare permoti Veneti Patres nouo ante hanc diem exemplo, nouis post singula sexcennia incrementis, ad vsque bis millena stipendium auxerunt, qui honos hactenus nemini datus est.

Exteri porrò Principes quanti facerent, clara sæpenumero signa patefecerunt, tum invidiosis stipendijs euocantes, tum munificentissimis donis cumulantes. Ex quibus Christina Augusta nullis tacenda sæculis millenorum aureorum torque ornauit, & Ludovicus Magnus Christianiss. Francorum Rex, quingentorum aureorum honorario per septennium prosecutus est.

Interim vt patriæ Mediolani res posteris proderet, ab ejusdem Vrbis Decurionibus absens insciensque,

oblato ducentorum aureorum ſtipendio, renunciatus eſt. Qua prouincia quantum ſubſecare poterat a publica docenti cura, quantumque licebat per ingraueſcentem ætatem & obſtinatos morbos, toto quinquennio defunctus, vltrò liberèque abdicauit.

Anno octauo & quadrageſimo publicè docendi recurrente diutiùs ægritudine præpeditus, nec dum benè confirmatus, habuit extremam *de græcis litteris* præfationem, & poſtera luce prælectionem *de Manibus & Vmbris*: inde ſubito morbo correptus poſt ſeptem dies, quinque & ſeptuaginta natus annos, mortuus eſt, Non. Mart. hora noctis octaua, MDCLXXXII.

Cæterum, præter inſignia animi ornamenta, vis illi inerat acris ingenij, fida memoria, plena conſilij mens, animi candor, fides, & comitas: Per quæ ſummis & infimis mirum in modum charus, atque in reconciliandis diſsidentium animis facilè princeps.

Vſus eſt vt litteratus incommoda valetudine, maximè capitis atque artuum doloribus conflictatus: vix tamen diem a Muſarum ſacris abſtinuit.

Opera ab illo edita.

De re veſtiaria libri ſeptem, Patauij, 16. in 4.

Proluſiones XXVI. Epiſtolæ, Formulæ ad capienda doctoris inſignia, Inſcriptiones: Patauij, 1668. in 4.

Proluſionum & Epiſtolarum pars tertia, cui acceſſit Panegyricus Ludouico Magno Francorum Regi dictus. Patauij, 1674. in 4.

Electorum libri duo. Acceſſerunt Epiſtolæ & Inſcriptiones. Patauij, 1679. in 4.

Origines linguæ Italicæ: Patauij, 1676. in fol.



ANGELVS MONTAGNANA, NOB. PAT. PRACT. EXTR. PROF.

ANGELVS MONTAGNANA.



FAmilia Montagnana, tum antiquitate tum nobilitate planè illustris existit; Cujus præclara decora a præcipuis rerum Patauinarum scriptoribus fusè commemorantur: nobis carptim obiterque aliqua referre satis erit. Hæc viris, armis & litteris, medica præcipuè facultate clarissimis, omni tempore enituit.

Guido Montagnana, an. MCXLIII. Patauinæ Reipublicæ Præfectus equitum fuit, pluraque militaris peritiæ documenta dedisse asserit Portinarius, *lib*. 5. *cap*. 8.

Siccus Montagnana è præcipuis militum ducibus Phil. Mariæ Vice-Comitis Mediolani Ducis, quàm strenuus esset, in bello Brixiensi & Cremoniensi, vt ex Scardeonio colligitur, luculenter ostendit. Lugum ab eodem Duce missus, quadringentis stipatus Equitibus, Florentinorum exercitum profligauit, Forumque Liuij cepit.

Anno MCDXL. Bartolomæus Montagnana sui temporis alter censebatur Æsculapius, ad quem tanquam ad sacram salutis anchoram & oraculum verius Del-

phico, ex omni regione ægrotantes confugiebant. Is est qui multorum annorum decursu hanc Academiam publicè illustrauit, cujusque doctrina scriptis consignata, vt ipsi sic ejus familiæ, gloriam amplissimam conciliauit.

Anno MCDLXXVIII. Petrus Montagnana, latinæ, græcæ, & hebraicæ linguæ peritia excelluit; quo patriæ decus maximum peperit, tunc temporis armis & litteris æqualiter famosæ.

Bartolomæus II. non minori quàm alter doctrinæ præstantia floruit, multisque annis medicinam explicans primas hujus Patauini Lycei sedes summa cum gloria occupauit, operibus editis in hominum memoria æternùm victurus: Consilia medica CCCL. De balneis, atque Antidotarium ejus, passim veniunt non minori jucunditate quàm vtilitate à Medicis evoluta.

Alexander hujus filius plurium scientiarum cognitione patri nullatenus inferior exstitit. Hic anno MDXXXI. a Francisco Maria Vrbini Duce, Comes & Vicarius oppidi Granarolæ Pisauriensis ditionis fuit renuntiatus, ea conditione addita, vt vsque ad pronepotes Alexandri, familia idem munus dignitatemque gereret.

Iacobus hujus frater, patris & aui vestigijs grauiter inhærens, medicæ facultatis monumentis editis, orbi satis conspicuum se facit.

Ann. MDXXV. Marcus Antonius Iacobi non degener filius, chirurgiam in hoc archi-gymnasio per

plurium annorum ſpatium eſt profeſſus, cujus etiam libros editos poſteris reliquit, non vulgaris eruditionis.

Tiberius Montagnana ex illis C. viris nobilibus Patauinis vnus fuit, qui pro Veneta Republica in nauali prælio ad Naupactum juxta Echinadas commiſſo militantes, perenne decus patriæ vt Reipublicæ Chriſtianæ intulere, MDLXXI.

Ex hac tot viris clariſsimis inclita familia, ANGELVS MONTAGNANA, MDCVI, V. Kal. Dec. natus eſt. Eximia majorum exempla ſibi a prima ætate ob oculos ponens, ſtudijs ſeſe applicuit: Magno præſtantiæ omine laureas ſuſcepit, an. MDCXXXI. philoſophicam a Cæſare Cremonino, & poſt triennium, medicam a Iulio Sala, viris orbi litterato notiſſimis. Medendi dexteritate atque peritia a primis annis ita valuit, vt an. MDCXXXV. ei demandata fuerit Medicinæ practicæ ordinariæ explicatio, quam vt diligenter & induſtriè, ſic cum maximo famæ argumento exercuit. Cui non parum contulit ea ſolertia quam in dignoſcendis pulſibus febriumque natura adhibuit. Præclarum reſtat ejus in medendo felicitatis monumentum; ædes ſcilicet Principibus dignæ, quas non minus artis decori, quàm aut Patavij ornamento, aut ſui & familiæ commodo ſacratas voluit; quibus opes a Galeno datas, in Galeni gloriam refudiſſe videtur.

SEBASTIANVS SCARABICIVS.



Atauium , *Vrbs doctiloquis ſedes aptiſſima Muſis ,*
Magna loco , ſpatioſa foris , placidiſsima cæli .
Temperie, muroq; triplex ,latiſsima foſsis,
Et magnis celebrata viris ,

SEBASTIANI SCARABICII eſt patria . Hic parentibus genere non obſcuris , anno MDCIX. eſt ortus . Ab illis cùm miræ indolis videretur atque à teneris adhuc vnguiculis ſe ad omnia ſumma natum probaret , ſtudijs maturè applicatur . Amęnioribus litteris imbutus , Cæſari Cremonino philoſophantium tunc temporis κορυφαίῳ ſe dedidit , & philoſophiæ penitiores receſſus , abſtruſioreſque difficultatum latebras ſolerti ſubtilique animi contentione ingreſſus , adeo in ea ſcientiarum matre profecit , vt haud abſimilis inſigni ſuo præceptori propediem euaſerit .

Mox medicinæ operam nauare cępit , cujus præcepta a doctiſſimis illa tempeſtate viris , Benedicto Siluatico , Dominico Sala , & Ioanne Preuotio , tanta ſedulitate accepit , vt exiguo temporis elapſo intervallo

SEBASTIANVS SCARABICIVS, P. MEDICINÆ PROFESSOR

solemni philosophiæ & medicinæ serto fuerit redimitus. Tota ejus cura sita erat in selectissimis medicinę autoribus, Hippocrate præcipue, Galeno, & Auicenna ejus artis Principibus, manu diurna nocturnaque versandis, quorum præcepta ad praxim diligenter converteret: Id tam apposité præstitit vt præclaram sibi famam juuenis conciliauerit. Cùm igitur anno MDCXXX. in tota fere Italia, pestifera lues passim grassaretur, & præsertim Patauium inficeret, Abbas Spinellius, omnesque cænobij D. Iustinæ monachi Cassinenses, vt eos a contagij sæuitia immunes, tutosque præstaret, ad se acciuerunt: neque eorum spem euentus fefellit, tanta enim fuit SEBASTIANI SCARABICII industria & felicitas, vt monachorum nemo, quamvis vltro sæuiente morbo, fuerit absumptus.

Anno MDCXXXXIV. concessam a Venetis Proceribus publicè docendi prouinciam, magna cum laude susceptam obiuit, Auicennæ librum tertium in secundo loco interpretans. At non vulgari hinc sibi fama parta, Io. Gambari primam ejusdem cathedram occupantis, locus ei datus est, quem nunc omnium plausu obtinet, explicandi facilitate, facetis salibus hilarem viri genium indicantibus, omnis conditionis Auditoribus mirum in modum gratus, nullo quippe pacto doctrinæ profunditas ab inimitabili ejus festiuitate disiuncta est.

Alexandro VII. in Pontificem maximum electo, cùm Ioannes Pisaurus, Bertuccius Valerius, Aloysius Sagredo, quos omnes Venetiarum Duces vidimus, &

Aloysius Contarenus qui pari dignitate, in eodem Ducum throno, felicitate sedet, ipsi gratulaturi à Serenifs. R.P. missi essent, SEBASTIANVM SCARABICIVM sibi Medicum elegerunt. Is cùm in Vrbem peruenisset, Summo Pontifici suum DE LAPIDIS CONCRETIONE IN HOMINE librum inscripsit, quem ille, natiua in viros doctos propensione, generoso hilarique vultu excepit, quantumque sibi esset gratus, aureo numismate sua insignito effigie, quo Autorem donauit, testatum voluit.

Cùm autem in dies Viri fama doctis ingenij monumentis medendique peritia vbique inclaresceret, plures eum Principes & Magnates ad suæ valetudinis tutelam aut restitutionem sæpiùs euocarunt. Serenifs. Dux Mutinæ Franciscus illum ad se accersitum de opportunis suo morbo remedijs consuluit, cujus responsis sibi mirè satisfactum eximio donario ostendit. Nec minori fama apud Emin. Cardinalem Estensem valuit, cui felici prosperoque euentu commissam salutem restituit.

Hinc tanti viri celebritas non in sola Italia sed & per Germaniam præcipuè peruagari cępit, quantique istius Proceribus esset, nonnulli maximæ inter eas dignitatis, dum ancipiti corporis statu vterentur, ejus operam exposcentes, testatum fecerunt. Celeberrimus Bened. Siluaticus, quotiescunque dum in viuis erat, vllo tentabatur morbo, ab vno SCARABICIO medicam sibi opem ferri patiebatur, quem etiam moriturus toti suæ familiæ, vt non alio in aduersa valetu-

dine quàm illo medico vterentur, enixè commendauit. Io. Dominicus Sala, medica facultate orbi notissimus, ejusdem sæpè sententiam in morbis dubijs expetijt, eàm ferè semper tutiorem certioremque expertus.

Cæsari Cremonino a quo philosophiam acceperat, semper oppidò charus, maximaque necessitudine junctus exstitit, & meritò; ab eius enim doctrina quam totis nervis propugnat, ne latum quidem vnguem vllo tempore discessit.

Eius doctrinam mentemque testantur libri ab ipso editi:

De Lapidis concretione in homine. Patauij, 1655. in 12.

De Igne Febrifero.

Historia bouini cerebri in lapidem mutati.


IO POMPILIVS SCOTVS.



Etuſtiſſima Comitum Duglaſſiorum familia, è Scotiæ primarijs, quin & Regio ſanguini coniuncta, mutato, nomine, ſeu potius cognomine adiuncto, quod tandem in nomen euaſit, Scotam fecit, a gentis origine deductum. Quomodo id factum fuerit explicat Vmbertus Locatus, *in hiſtoria Placentina*, his verbis: *Per hos dies*, ad annum ſcilicet DCCLXXIX. *qui cum Carolo Magno ex Scotia in Italiam contra Deſiderium Longobardorum Regem veniſſe dicitur Guillelmus Scotus, aduerſa valetudine grauatus victorioſum Imperatorem, in Gallias reuertentem ſequi cùm nequiuiſſet, Placentiæ remanſit: Sanitati autem reſtitutus, mallens Placentiæ quietiùs remanere, quàm longiſsimi itineris ad patriam reuertendo experiri pericula, quò ſibi Placentinorum deuinciret animos, Antonij de Spectinis pluſquam mediocris conditionis viri filiam ſibi accepit vxorem, ex qua quamplures cùm accepiſſet filios, tam nobiliſsimæ familiæ ea in ciuitate fecit principium, &c.*

Id iterum confirmat Ioannes Epiſcopus, in hiſtoria Scotiæ, Romæ edita, lib. 8. *Vnde certiſsima coniectura aſſequimur, illam perantiquam Comitum familiam (quibus*

POMPILIVS SCOTVS, PATAV. MEDICINÆ THEORICÆ PROFESSOR





SCOTI cognomentum confirmauit iam vsus loquendi) Placentiæ florentem ex nobilissima nostrorum Duglasiorum Comitum (eademque namque vtriusque sunt insignia) prosapia, oriundam fuisse. Quam præter multos alias illustres Comites ornat hodie Christophorus SCOTVS, &c. Neque ad familiæ illustrationem prætermittenda veniunt, quæ *lib.* 5. narrauerat, his verbis: *Achaius fratrem suum Gulielmum quatuor alijs Clemente, Ioanne, Rabano, & Alcuino (qui ingenij acumine præstantes multiplicem omnium rerum cognitionem animis comprehenderant) comitatum in Franciam alligauit; atque vt Achaius clariss. animi sui in Francos signum substolleret, quatuor militum millia Carolo Magno bellum tunc temporis cum hostibus Christiani nominis acerrimis, genti subsidio misit.* Et paulo post: *Rabanus & Alcuinus legatione peracta in Scotiam reuertuntur, id quod dum Ioannes & Clemens seriò quoque cogitauit, Carolus Magnus Rex precibus effecit, vt in Francia hæreret ad Academias, ille Papiam hic Parisiensem (quorum fundamenta non ita pridem Carolus Magnus iecerat) vt iuuentutem ibi literis disciplinisque imbuerent, allegantur. Gulielmus in terra loci strenuam Carolo Magno operam in bello nauat.*

Historiæ Gallicæ scriptor eximius D. de Mezeray, meminit in vita Caroli Magni, ad annum DCCXC. *Archaium Scotiæ Regem in ἀντιδόρον quatuor mille Gallorum militum quos a Carolo M. sibi subsidiarios acceperat, duos egregie litteratos misisse, Claudium Clementem & Alcuinum Anglo-Saxonem; quorum opera vsus est optimus ille Rex, in inchoandis firmandisque Lutetiæ Parisiorum scholis illis publicis, quæ breui in Academiam inclitam omnium matrem*

euasit. Subiungit idem Autor, *docto Alcuino collatam fuisse a Carolo M. abbatiam Turonensem, in præmium tantorum eruditionis thesaurorum, quibus Galliam ditauerat, cum Claudio & Ioanne SCOTO.*

Ex quibus manifestum euadit familiam hanc inter antiquissimas Europæ meritò locari, quæ bello paceque clarissimos ediderit viros æternùm memorandos. Duglassium Comitem, autoritate & prudentia spectatissimum, pro tutore habuit Maria illa Stuarta, feminarum formosissima, Scotiæ Regina, ac deinde Galliæ, cùm Francisco II Regi nupsisset, cuius acerbum fatum lugent quotquot Catholicam fidem profitentur.

SCOTORVM eandem familiam esse cum Duglassiis, arguunt præterea, eorumdem insignia, Ticini seu Papiæ, Placentiæ & Cremæ, in variis templis, publicisque locis erecta. Confirmant præterea Imperatorum diplomata, Caroli IV. ad Com. Franciscum, an. MCCCLXIX. Sigismundique ad Com. Albertum, an. MCDXLII. atque etiam Ioannis Mariæ Mediolani Ducis ad Com. Ioannem, an. MCDIV. in quibus prædicti SCOTI etiam Comites Duglassij nominantur.

Tandem accidit vt circa annum MDL. Io. Augustinus SCOTVS Papia exilio pulsus fuerit, quamvis sinistro, vt fertur fato: Hinc Iurisdictionum distractio, bonorum dilapidatio, recessioque a patria: Patauium ille se contulit, in quo posteri subsistere. Atauus hic erat IO. POMPILII, qui natus an. MDCXX. Professor Auicennæ interpretando a Senatu electus est, MDCXLIV. deinde post varios gradus ad Theoricam ordinariam euectus est MDCLXXIX.

GEORGIVS



GEORGIVS A TVRRE, NOB. PAT. HORTI PRÆF. ET MEDIC. PRACTICÆ PROF.

GEORGIVS A TVRRE.



EORGIVM A TVRRE Patauinum exprimit effigies hæc, virum nobilem non minùs gloria quàm ætate ſpectatiſſimum, ſummumque Medicum. Si animari potuiſſet imago, arderet in oculis viuidus ille ſpiritus ad omnia impiger, quem non improbus labor, non ſenium fregit: Oris venuſta explicaretur comitas, qua refectus ægrotantium animus exſurgit. Ingenuam hanc indolem nactus optimo ornauit genio. Natus ann. MDCVII. magnam omnibus ſui ſpem dedit: Adoleſcentiam commendauit humaniorum litterarum amor, quo in dies creſcente, viſus eſt in mentis promptuario coegiſſe quidquid eruditionis ex vberrimis eruditarum linguarum fontibus ſcatet, circum quas Hetruſcas etiam Muſas, magna ingenij laude, ducere placuit puro latice fæcundandas.

Progreſſus inde ſeueriora ad ſtudia, Philoſophiæ ſcilicet & Medicinæ, duplici hac laurea impubes adhuc donatus eſt, clariſſimis illius temporis Medicis nobile fouentibus ingenium charus, citò comitante fortuna egregiam virtutem, probatiſſimis ſe inſeruit nomini-

bus. Quo factum est, vt elato Io. Veslingio, Theoriæ Simplicium in Lyceo docendæ, ac eorumdem ostensioni in Horto publico suffectus fuerit, an. MDCXXXXIX.

Interim ægrotantium numero ejus deposcentium opem ferè impar, vndique laudis materiem invenit: Nec minora capita recenseo, verum nobilissimos non Venetiarum tantummodo ac Patauij Proceres, at ex vniuersa ferè Europa huc confluentes, tanquam ad Æscupij templum, salutem deprecaturos. Recolere memoria possem plures Ecclesiæ purpuratos Patres, maximèque Principes, quos vel aduocatus coram, vel consultus absens restituit, honoribus vbique præmijsque ingentibus auctus.

Inter hæc promouetur ad primam medicinæ Practicæ extraordinariæ sedem, vbi magnam ingenij suè eruditionisque vim promit; quippe mutato docendi genere, laudem dicendi non mutat. Quibus tam varijs tantisque distractus curis reluctari tamen haud potuit vniuerso nobilium Ciuium ordini, qui ipsum ciuitatis prouidentiæ admotum voluit, seligens inter quatuor *ad vtilia* vt dicunt, Deputatos Viros, qui summus nobilium Patauinorum honor est. Huic cùm non semel præfuerit, optimi prudentisque ciuis nomen meritus est, cunctos publicè priuatimque juuans; vt mirum sit inter tot sollicitudinum genera, otium medica multa scribendi sibi fecisse.

Hoc tempore Practicam medicinæ ordinariam profitetur, ad quam vita functo doctiss. Hier. Vergerio euectus fuit, hancque doctrina sua rerumque gestarum

autoritate illuſtrat: Nihil interim minuente ſenecta aut memoriæ vim, aut animi vegetum munus, aut corporis firmitatem & robur; vt perinde conſtet hunc verè ſummum Medicum eſſe, qui integer & valens, ſapientiæ ſuæ exemplum ipſe ac teſtis ſit, vt etiam ipſa longæuitate Hippocrati non foret abſimilis.

Hanc ejus mentionem facit Epiſcopus Tomaſinus, in GYMNASIO PATAVINO, pag. 98. *Io. Veslingio ſucceſsit GEORGIVS A TVRRE Patauinus, medendi peritia jam clarus & amænioribus litteris ac potiſsimum priſcorum numiſmatum notitia deditus.*

Opera ab ipſo edita.

Catalogus Plantarum horti Patauini, nouo incremento locupletior: Patauij, 1662. in 12.

Iunonis & Neſtis vires: Patauij, 1666.

Sub prælo eſt, *Driadum, Hamadriadum, Cloriſque triumphus, botanicam continens hiſtoriam.*


HADRIANVS A S. IVLIANA.



PErantiqua familia Santuliana, ſic enim vernaculè a Sancta Iuliana corrupta eſt, litteris & armis illuſtriſſima, vetuſtiſſimo etiam tempore, Patauij floruit, è qua ortum duxit HADRIANVS, an. MDCXXVI. matre nobiliſſima Capiuaccia.

Adoleſcens vitæ tutioris deſiderio, Prædicatorum Ordinem eſt ingreſſus, æt. XIV. In quo ne Majoribus degenerem ſe ferret, ad ſcientiarum ſtudia Mediolani primùm, vbi vniuerſæ Theologiæ concluſiones maxima cum celebritate habuit, an. æt. XIX. deinde Peruſiæ totis nervis incubuit. Quantum in illis profecerit, vel ex hoc liquidò patet, quod poſt exiguum temporis ſpatium, philoſophiæ ac theologiæ Profeſſor a ſuis fuerit renuntiatus. Patavij poſtea philoſophiam in cœnobij palæſtra tanta cum laude docuit, vt SS. Theologorum collegio omnium calculis, an. MDCL. fuerit pro more aggregatus. Anno verò MDCLIII. Logicæ cathedram in patrio Archi Lyceo moderandam ſuſcepit. Decem dein exactis annis ſcilicet MDDLXIII. ad philoſophiæ cathedram, quam nunc non vulgari do-

R. P. M. ADRIANVS A SANCTA IVLIANA, ORD. PRÆDIC. PHILOS. PROF.



ctrinæ fama obtinet, traductus est; insigni propemodum honore donatus, cùm rei benè gestæ premium, Theologorum laurea donandorum Promotor perpetuus ab Excellentissimis Academiæ Moderatoribus nuncupatus fuerit.

Romam a sui cætus Primate accersitus, anno C. MDCLXVII. Theologiæ magistri lauream, plaudentibus Patribus, adeptus est: Ex quo non minorem concionando quàm docendo famam sibi comparauit, Herculis Gallici ad instar, catenulis ex auro & electro concinnatus, auditorum aures vt corda ad se rapiens. Et quidem tanta est ejus facundiæ vis, vt ei animorum aditus obsidenti, quin intima pectorum subeat, altiusque in penitiores cogitationes irrepat, nihil prorsus obstet. Nec mirum, tanta siquidem politioris litteraturæ facundia excultus est, in sublimioris cælestisque doctrinæ arcanis mysterijs versatus, vt minora de illo sibi polliceri nemo possit. Testes sunt Venetiæ quæ eum alterum *Chrysostomum* rediuiuum celebrârunt: Testes præter Patauium, Ferraria, Brixia, Verona, Vicentia, Vtinum, Rauenna, Taruisium, Placentia, aliæque plures quarum ciues ex ore dicentis mirabiliter pependerunt.

Tantis porrò ornatus est dotibus, vt Principes & Magnates non paucos, præcipuè Venetos, multosque purpuratos Proceres sibi mirum in modum conciliauerit. Alexandri Pici Mirandulæ Ducis diploma vidimus, an. MDCLXX. datum, quo istius Principis Theologus declaratur.

HILARIVS SPINELLVS.


Nno MDCXXVI. natus eſt HILARIVS SPINELLVS, Nobilis Patauinus, qui vix è cunis egreſſus ſummam voluptatem in ſtudijs collocauit, è quibus precocem quaſi ſibi ſapientiam comparauit. Ætatis anno XX. Philoſophiæ laurea pleniſſimè inſignitus Patriciorum more, per triennium medicinæ inſudans quam artem omnium præſtantiſſimam nouerat, ejuſdem honorificis titulis condecoratus etiam fuit, an. MDCXLIX. Quibus non contentus ad Profeſſionem Practicæ extraordinariæ quam ſummopere deſiderauerat, tertio loco fuit accitus, anno MDCLIV. In eo docendi munere per plures annos adlaborans, talem ſe geſſit, vt ab Excell. Moderatoribus, Sereniſſimaque Republica ad Simplicium vt vocant cathedram an. MDCLXVI. promotus fuerit, quo in miniſterio, à publica Principis munificentia honorificentiſsimè confirmatus, magno ſtudentium applauſu adhuc perſeuerat.

Vir, quod ſit, qua voce qua medendi peritia fortè nemini ſecundus; Proinde ſæpiùs a Magnatibus ſalutarem ejus opem implorantibus, extra vrbem vocatus

HILARIVS SPINELLVS, NOB. PAT. PHARMACIÆ PROFESSOR



eft. A multis Principibus expetitus tanta cum prudentia fe gefsit, vt felicitatem in morbis continuò comitem habere videatur; quare illis apprimè charus, præter honores honorariaque non vulgaria, maximam nominis famam, eamque in dies augefcentem, comparauerit.

Delicias fummas in rariorum librorum collectione conftituit, quorum amplifsimo vt felectifsimo numero fruitur. Nonne verioribus ille delicijs gaudet? Voluptates, vmbrarum in modum depinxit Sapiens Ecclefiaftes. At, fi quædam fit, vt nullius criminis particeps, fic ad veram hujus vitæ tranquillitatem facta, librorum operâ eam procurari arbitror, abfque adulatione aut inuidia, res præteritas, præfentes & futuras declarantium, cæleftes, terreftres, fcientias omnes, artefque, illamque præcipuè Sapientiam, quæ fola hominesbeat. Bene fit itaque SPINELLO, præter viuos tot etiam mortuos fibi paraffe amicos, quorum præfidium nulli vnquam deeffe notum eft. Ad majora porrò vocatus videretur, fi temporum mores ejus genio indulgerent, aut ipfe aliorum inftitutis magis quàm fibi ipfi fe componeret.

ALEXANDER BORROMEVS.



Ntiquam & nobilem esse Borromeorum familiam vix vllus est litteratus qui ignoret : Quin & supra mille annos hanc eamdem esse cum Vitalianis Scriptores multi affirmant ; Illa certè retro multa sæcula, viris toga sagoque præstantissimis maximè inclaruit; ac nuper quatuor Ecclesiæ Purpuratis Principibus, virtutis summæ compotibus, Carolo maximè, quem Sanctum meritò pronuntiauit summus D. Petri successor. Mediolani, Florentiæ, Patavij alibique ita honorificentissimè floruit, vt extra Majores suos quærendum non habuerit magnanimitatis exemplum ALEXANDER BORROMEVS, Comes Castri Arquati, & Burgi Vallis de Taro, qui natus an. MDCXXV. Kal. Oct. Musis se a primoribus annis totum tradidit. Impubes, laurea philosophica donatus est, & breui temporis spatio etiam medica, quam suis carminibus illustrauit doctissimus Io: Rhodius. Id ejus gloriæ maximè vertitur, quòd Fama ejus eruditionem atque industriam vbique decantante, omnis ferè conditionis homines Patavium venerint, salutem deprecaturi, consiliumque, quo ea

ALEX. BORROMEVS, PAT. COMES, THEOR. EXTR. PRIM. PROFESSOR

citiùs faciliusque restitueretur: Veneti multi Proceres se per illum viuere testantur; Summi Principes suis epistolis, ingentibusque muneribus, quanti hunc suum Peona faciant, apertè declarauerunt.

Tot porro tantorumque hominum quam susceperat curam, illum a suscepta Pauperum charitate non amovisse apertè constat, cùm omni diligentia & affectu Xenodochij Patavini ægrotantes solertissimè per plures annos visitauerit, solatus fuerit,& quantum fieri potuit, sanauerit: Quod magna studiosorum vtilitate ipsum vt magnum artis magistrum prosequentium, perficitur.

Inter ejus familiæ decora memoretur, Augustam Eleonoram, Imp. Ferdinandi III. viduam, ejusque fratrem Ser. Carolum Mantuæ Ducem, postea etiam Cæsarem Augustum Leopoldum, ac tandem Ser. Ferdinandum Mariam Bauariæ Ducem & Electorem, hujusque Ser. conjugem, liberos Comitis ALEXANDRI, cum omni benevolentiæ testimonio, in sacro fonte, sustulisse.

Tantæ famæ virum Respublica Veneta, virtutis vt eruditionis æstimatrix æquissima, sibi adsciscere decreuit, adsignato honorabili stipendio & Professoris publici honore. Ab anno MDCLVI. extraordinariæ medicinæ explicandæ vacauit, donec post XXIII.annos, insigniori cathedræ, scilicet Theoreticæ suffectus fuerit, quam magno eruditorum concursu moderatur.

Patriæ inseruire numquam intermisit: Vt quamuis inter Decuriones sæpè locum ipse obtinuerit, qui summus est nobilium Patauinorum honos, assiduis curis, indefatigato animo, officiisque continuis, eam dignitatem omnimodè tutatus fuerit, ad omnia bona natus, ad omnes dignitates, omniumque beneficium.

HERMENEGILDVS
PERA.



Nno Christi, MDLXXI. quo Christianis accessit insignis illa contra Turcas ad Naupactum victoria, Zaccarias & Nicolaus cognomine Peri, ex oppido seu potius vrbe Pera, Byzantio contermina, fide Catholica a genitoribus imbuti, adultiores facti, tandemque Parentibus orbati, religionis suæ, suæque vitæ securitati consulentes, Venetias appulerunt. Ibi paulisper commorati ad oppidum Portus-Buffoleti commigrarunt, in quo pecunijs quas ante discessum è proprijs laribus cumulauerant, domum & agros emerunt, ex quibus annualem victum elicere possent; nec multo post, inter nobiles illius oppidi fuere cooptati. Major natu Zaccarias legum studio operam dedit, quarum Doctor renuntiatus est.

Nicolaus vxorem duxit, è qua binos suscepit liberos, Augustinum & Antonium: Hic vtriusque Iuris Doctor, sacro Sacerdotio nomen dedit, & pagi non ignobilis animarum curationi præfuit. Augustinus verò decem procreauit filios, quorum quinque vix ineunte ætate ad superos evolarunt.

Superstitum primus fuit Zaccarias I. V. Doctor, qui

HERMENEGILDVS PERA, FOROIVL. THEORICÆ MEDIC. PROFESSOR

N.Dubois Gall. *ad vivum sculp.*

Cathedralis Ecclesiæ Cenetensis canonicus, annis vt virtutibus plenus obijt.

Secundus fuit Nicolaus, cujus duo fuere filij, Ioannes I. V. Doctor & ejusdem Ecclesiæ Canonicus, obijt MDCLXXVI. Antonius, philosophiæ & medicinæ Doctor, historiarum lectioni, cosmographiæ alijsque deliciosis studijs planè deditus. Vxorem hic duxerat propemodum invitus, cujus etsi suauem familiaritatem libris suis postponeret. Genitorum quipe genio magis quàm suo indulgens, matrimonij vinculo se ligari passus est, ex quo multos quidam suscepit liberos, sed binos tantùm superstites, Hyacinthum & Ioannem, ambos indolis optimæ pueros, Buffoleti degentes.

Tertius nuncupabatur Hortensius, qui I. V. Doctor, Sacerdos, & Fontallattensis Ecclesiæ Archi-Presbyter ac Vicarius Foranius, anno MDCLXXVI. ad plures migrauit.

Quartus fuit Augustinus, qui litterarum primordijs leuiter imbutus, vitam veluti totam venationi & aucupio dicauit: Sic sua quemque voluptas trahit, sic quisque nostros patimur manes.

Quintus ac postremus est HERMENEGILDVS, qui natus anno MDCVIII. varijs in locis, humanioribus litteris imbutus, in Germaniæ vniuersitate Græcensi, Philosophiæ cursum peregit. Illinc Patauium appulit, vbi per biennium exculta probè medicina, vtramque lauream honorificentissimè obtinuit: Praxi postea se applicuit, occasione felici Benedicti Siluatici medicinæ Professoris supra-ordinarij, viri insignis, eum

maximè diligentis. Tali formatus præceptore, Medicus Aſſiſtens, vt vulgò dicitur, xenodochij D. Franciſci electus eſt, an. MDCXXXV; poſt cujus ſeptennale exercitium, a Portus-Gruarij communitate vocatus eſt ad Medici Phyſici munus obeundum. Exacto ibi biennio, in vrbem Feltriæ accitus, Medicus Phyſicus primarius, morborumque ad Chirurgiam attinentium director & arbiter fuit electus. Tanto cum ſucceſſu itidem per XII annos præfuit, vt ejus eruditione ac in medendo felicitate permoti Academiæ Moderatores illum Patauium evocauerint, an. MDCLVII. Theoriamque medicam docendam illi commiſerint; quam non ſolùm in Lyceo publicè verùm & in ædibus ſuis priuatis manifeſtam facilemque reddit omnibus Auditoribus, laboribus minimè parcens. Non obſtante quipe ſenio, vires omnium convellente, robur ſingulis diebus ex laborum nouorum acceſſione ſibi acquirere videtur HERMENEGILDVS, iuxta Imp. Veſpaſianum cenſens, *Imperatorem ſtantem oportere mori*.

DOMINICVS DE MARCHETIS, PRIM. PRACTICÆ EXTRAOR. PROF.

Du Bois del. *De la Haye fe:*

DOMINICVS DE MARCHETIS.



B herbis ſalubribus germina ſalubria produci, a bonis arboribus bonos fructus educi natura quotidie cōprobat: ſic a parentibus virtute præditis, haud degenerem gigni ſobolem omnibus compertum eſt: Verè ad rem Lyricorum princeps: *Fortes creantur fortibus: Eſt in juuencis, eſt in equis patrum virtus: Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.*

E Petro de Marchetis, Equite D. Marci, Chirurgiæ & Anatomiæ profeſſore, viro eximijs ſcriptis notiorè quàm vt hic commemoratione indigeat, DOMINICVS natus anno C. MDCXXVI. hoc veritati minimè abſonum luculenter oſtendit. Illius quippe egregia veſtigia, fido a primæua ætate pede, inſequens, doctiſſimo parente non indignum filium ſeſe breui manifeſtè probauit. Tanta ſiquidem ſedulitate animum ſcientijs mancipauit, vt profectum acri ejus ingenio non imparem inde tulerit.

Patri adhuc adoleſcens in exhibenda anatome aliquot annos auxiliatus, mira ſui documenta dedit. Veterum Medicorum omnia intima ſcrutatus, Recentiorum

quoque libris non leui manu tritis, eam ex illis sibi doctrinam comparauit, vt Veneti Proceres ejus præclaræ scientiæ fama excitati, eum ad Chirurgiam in primo loco prælegendam adlegerint; Quod munus per duodeviginti annos summa laude sustinuit Patritius Patauinus hic noster DOMINICVS.

Ad Practicam deinde Extraordinariam medicinæ proprijs ferentibus meritis prouectus est: Quem locum tanta cum gloria atque doctrina nunc tuetur, vt nihil in illo ad gymnasij decus commodumque Auditorum desiderari queat. Studiosis omnibus dicendi facilitate ac perspicuitate mirum in modum se acceptum præbet: Soliditatem namque doctrinæ tam plana methodo digestam proponit, vt quisque vel mediocris ingenij ex ejus auscultatione non parùm in illa facultate proficere valeat.

Quanti verò a Magnatibus Principibusque viris habeatur, plurimæ illorum epistolæ ad DOMINICVM scriptæ (quæ quidem a Cl. Academiæ Cancellario Carolo Torta de Comitissa propediem publici juris fient) quibus vel nutanti valetudini, vel eidem iam ægræ opem expostulant, abundè innuunt.

Ab eo edita est

ANATOMIA, cui responsiones ad Riolanum anatomicum Parisiensem in ipsius animaduersionibus, contra Veslingium additæ sunt: Patauij, 1652. *& Hardeuici*, 1656.



STEFANVS DE ANGELIS, VENETVS, MATHEMATICÆ PROFESSOR

STEPHANVS DE ANGELIS.



Enetijs, ann. MDCXXIII. die XXI. Sept. natus est. Iesuatorum familiam nondum omnino ex ephebis egressus, petijt. Hic cùm Philosophiæ & Theologiæ operam seriò dedisset, in illis sic profecit, vt XXI. ætatis anno, eas Sodales suos docere valuerit, quod Ferrariæ primùm egregiè præstitit. Vetus est præceptum, *Si vis sapere, lege: Si vis magis sapere, audi: Si vis maximè sapere, doce:* quod certè P. STEPHANI exemplo luculenter confirmatum est.

Porro cùm paludosæ regionis grauior aer illius valetudini infestior esset, penè lethalem morbum contraxit, quo porro nihil ex acri studiorum contentione remissum est. Pristinæ tamen incolumitati redditus, Medicorum suasionibus Bononiam clementioris cœli ergo concessit. In hac vrbe cùm P. Bonaventuram Caualerium ex eodem Iesuatorum cætu, in archi gymnasio matheseωs præcepta tradentem pluries auscultasset, animum Mathematicis disciplinis admouere statuit: Cui proposito Caualerius, agnito juuenis ingenio ad hoc aptissimo, apprimè fauens, a sui Ordinis Moderatore, vt deinceps P. STEPHANVS

apud se hærere permitteret, flagitauit. Ita demum factum est, vt Præceptor diligentissimi discipuli continuo vtens colloquio, maximè recrearetur, STEPHANVS-que ad majora studia in dies feretur.

Graui autem paulo post Caualerio morbo correpto, illa studia quæ primoribus vix labijs attigerat, ferè omittere coactus fuisset, ni acris ingenij acies, deficiente præceptore, opem tulisset. Ita deinceps sese studijs applicuit, vt intra quadraginta sex dierum spatium, omnes XV. Euclidis libros diu noctuque assidua manu terens, cuncta ejus dogmata penitus calluerit: vt cœteros taceam immensos ejus labores, quibus & litteratis & Magnatibus omnis regionis clarissimus innotescit.

In abditiora dein penetralia solerti minerua admissus, ægrotanti adhuc Caualerio, miros illius progressus admiranti, magno gaudio fuit. Vir quippe doctissimus præsagiebat, illum licet paucos tantùm dies sub sua disciplina habere contigisset, sibi breui euasisse haud absimilem: Viso præcipuè publici juris facto Opere suo inscripto, *Exercitationes Geometriæ sex*, quod P. STEPHANVS summa industria promouerat, ac deinde ediderat.

Tandem cùm Caualerius, exiguo post tempore, inter viuos agere desijsset, vt summa doctrina sic gloria & annis plenus, Bononiensis academiæ Curatores P. STEPHANO cathedram ejus committere voluerunt, quam ille Vrbis desiderio, quo a suis vocabatur, non minùs honestè quàm modestè renuit.

Romam igitur profectus Mathesin eadem diligentiâ per quinque annos excoluit: quibus, cùm Veneti cænobij Prior electus esset, Venetias perrexit. Eo munere summa cum laude expleto, in prouinciæ comitijs, Prouincialis fuit renuntiatus. Et quanquam publicis sui Ordinis curis non parùm occuparetur, solita tamen studia nullo pacto remisit, necessarijs potiùs vitæ, vt sibi illis incumbendi copia fieret, & ne muneri quod gerebat deesset, tempus subducens. Denique dicti monasterij iterum Rector nuncupatus, nonnulla sua Opera hoc tempore publici juris fecit, quæ cùm doctorum calculos promeruissent, Veneti Magnates, Patauini archi-Lycei Moderatores, ejus doctrinæ fama excitati, Mathematicæ cathedram an. MDCLXII. illi demandarunt, quam etiamnum egregia cum laude, nec minori academiæ splendore tuetur.

Sacerdotis sæcularis veste indutus procedit, cùm antea per sex annos monachali tunica, pro Iesuatorum more, vsus fuisset: Quippe eam omittere coactus est, suppresso, summi Pontificis & Serenissimæ Reipublicæ autoritate, illorum Ordine, an. MDCLXVIII, ejus annuis reditibus in Venetæ contra Turcas classis suppetias conversis.

Singularem STEPHANI comitatem morumque suauitatem experiuntur quicunque illam desiderant, adeo facilis est omnibus, benignus & beneficus. In ejus gloriam dictum sit, nullum a me vnquam auditum qui vel leuissimè de ejus dictis factisve conquereretur: Optimus ille censeri debet qui minimis vrgetur.

Opera ejus edita sunt hæc:

Problemata Geometrica LX.
De infinitis Parabolis, libri IV.
Miscellaneum hyperbolicum, & parabolicum.
Miscellaneum geometricum.
De infinitorum spiralium spatiorum mensura.
De infinitarum cochlearum mensuris.
Accessionis ad Steriometriam & mechanicam.
De superficie vngulæ.
De infinitis Parabolis, liber quintus.
De infinitis spiralibus inversis.
Considerationi sopra la forza di alcune ragioni Fisico-matematiche del P. Gio: B. Riccioli, contro il sistema Copernicano.
Seconde considerationi.
Terze considerationi.
Quarte considerationi.
Della grauità dell'aria, dialoghi cinque.

ALBANIVS ALBANESIVS, NOB. PAT. PRIMARIVS LOGICÆ PROFESSOR



ALBANIVS ALBANESIVS.



X nobili Albanesiorum familia inter Patavinas patricias non infima, patre Guido Antonio medicinæ theoricæ Professore ordinario, maximi nominis summæque eruditionis viro, ALBANIVS ALBANESIVS, an. MDCXL. natus est. Patribus Societatis Iesu disciplinæ traditus, eorum ductu in humanioribus litteris breui sic profecit, vt vndecima ætatis anno nondum exacto, Mantuæ in eorumdem æde, coram Serenifs. Duce alijsque Magnatibus, orationem panegyricam proprio marte contextam habuerit, quæ pro illius ætate magnum illi peperit plausum. Alia etiam plura toto tempore quo apud illos hæsit, viuacis sui ingenij documenta dedit.

Annum tertium decimum agens, Patauium regreditur, vbi cùm per quinque annos philosophicis theorematibus summa cum sedulitate operam dedisset, solemnibus illius scientiæ insignibus est redimitus, moxque in Philosophorum collegium adgregatus. Cùm autem postea ad Medicinam sese applicuisset, ei tanta diligentia incubuit, vt istius facultatis laurea breui fuerit etiam insignitus.

Nec diu fuit quin Logicæ in tertia ſede explicandæ prouincia ipſi demandaretur, an. MDCLXIV, quem locum vſque ad vigeſimum octauum ætatis ſuæ annum tanta cum laude ſuſtinuit, vt vnanimi Gymnaſij Moderatorum conſenſu, ad ſecundam cathedram fuerit prouectus: Anno denique MDCLXXXI. ad primum fuit traductus.

Ad hos gradus eleganti doctrina explicandique facilitate omnibus inclareſcens ſibi aditum aperuit; vnde majoribus etiam dignitatibus Venetos Proceres ejus virtutem cumulaturos, nemini qui quantum ALBANESIVS meritis polleat, nouerit, dubium eſſe poteſt. Ille quippe, quos juuenis memoriæ mandauit Ariſtotelicos contextus (Puncta Laureandis interpretanda vulgò nuncupant) tanta ſedulitate inveſtigavit, vt ſi ipſius Stagiritæ commentatores perijſſent, reſtituere ſolus poſſet. Equidem vix vllus eſt philoſophiæ doctoratum in Patauino collegio poſtulans, qui ejus eruditionem autoritatemque non ambiat: Et meritò certè, cùm pauciſſimi tanti Philoſophi arte imbuti, optatum decus non conſequantur.

FELIX



M. FELIX ROTONDI A MONTE LEONE, ORD. MIN. CON. P. SAC. THEOL. PROF.



F. FELIX ROTVNDVS.



EXimius hic Professor a Monte Leone in Vmbria, lucem rependit Patriæ, Conventualium Ordinem illustrat, & Scoticam Academiam splendidè exornat. Is an. Christi MDCXXX. ex honestis, pijsque parentibus ortus, prima ætate Deo, Diuoque Francisco, Augustæ Perusiæ dicatur, vbi in humanis, diuinisque litteris adeo profecit, vt Logicam, Metaphysicam, Sacros Canones, sacraque Dogmata Generalium Præsulum jussu indefessè per plures annos ibidem, & priùs Fani docuerit. Ejus præcocem virtutem admirantes Perusini Patres, vt conciuem haberent, in suorum numerum post sacram lauream, MDCLVIII, absque exemplo, sacra simul Congregatione mox approbante, cooptarunt.

Romano Collegio, a Sixto V. Pont. Max. apud SS. Apostolorum cœnobium instituto, adscriptus, Orator clarus exstitit in solemni Cardinalium cœtu, Sacrum D. Bonauenturæ celebrantium: Nec non subtiles theses S. R. E. Principibus, Vrsino, Farnesio, Rapacciolo, alijsque nuncupatas, varijs in locis absque Theseo deffendit; viuidum sui ingenij acumen claris in Italiæ

vrbibus adhuc juuenis declarans: Vnde in ejus Regina vix Sacerdos, Artium & SS. Theologiæ Doctor, atque Magister ritè declaratur, & Assisij in Seraphico D. Francisci Sacrario MDCLVIII. solemniter insignitur.

Ad Bergomensem, vt vocant, Regentiam posteriori an. missus, tale sapientiæ specimen dedit, vt Eminentiss. Antistes Gregorius Barbadicus incõparabili zelo coruscans, in totius diocesis *Theologum*, & Generalis Inquisitor aduersus hæreticam prauitatem MDCLX. in *Consultorem* delegerint. Ciues quoque Bergomenses docendę publicè Philosophiæ eumdem designarunt, & MDCLXIV. aduocarunt, amplo decoratum honorario, cujus eruditione Ciuitas, consilioque sanctum muniretur Officium.

Venetias orbis theatrum Regens accitus MDCLXII. nedum SS. Theologiam edocuit, verùm & in Rhetoricis, ac Philosophiæ præceptis selectæ nobilitatis Patritios erudiuit. Gloriatur ille maximè quòd inter suos Auditores splenduerit, qui proprijs dotibus splendet Io. Cornelius, Principum, Heroumque hæres, qui in publicam benignitatis notam eum suæ Corneliorum stipiti inseuit, suoque regio Stemmate decorauit; quo fortè suo sub auspicio seruaret, cujus patriam Majores sui sub imperio quondam habuerant. *Cornelij* quippe nomen in *Cornarium*, gloriosa metamorphosi a valle Cornù, a flumine Cornù, arceq; Cornaria prope montem Leonem, commutatum fuerat: ipso assertore *in Enchiridio & Epistola nuncupatoria*, ad eundem Io. Cornelium.

Primaria SS. Theologiæ Cathedra in via Scoti Mag.

Matthæo Ferchio Veglense, ejusdem Conventualium ordinis doctrina orbi notissimo se abdicante, FELICEM suffecerunt MDCLXV. Ser. R. P. Oracula Lyceum moderantia, Bapt. Nanius, Andreas Pisanus, & Io: Donatus. Theologiam scholasticam tunc aggressus est, ex S. C. quàm vnà cum Dogmatica & Positiua, difficiles Aristotelis contextus explicans, maxima cum Auditorum vtilitate, atque frequentia, nunc prosequitur.

Ann. MDCLXXIV. Triumviri Academiæ Moderatores cùm se eam invisuri Patauium contulissent, FELICIS lectioni die XIX. Feb. interfuerunt, in qua præter Sanctissimæ Triadis mysterium, Panegyrico eleganti in Veneti nominis gloriam, & Lycei famam, excepti sunt; Illius postea Domicilium elegerunt intra ædes S. Antonij, in quo de rebus academicis agerent: Cujus insignis honoris testimonium infra D. Marci leonem cum lemmate, *PRÆVIDET ET PROVIDET*, exstat:

VIRTVTI ET IMMORTALITATI.
SAPIENTISSIMI PATAVINI ARCHI-LYCEI MODERATORES
ANDREAS CONTARENVS, ANGELVS CORRARIVS, ET BAPTISTA NANIVS,
DIVI MARCI PROCVRATORES ET EQVITES,
EXCELLENTISSIMI SENATVS DECRETO
GYMNASIVM VNICO EXEMPLO INVISENTES
HAC IN ÆDE
MAGISTRATV ERECTO, VOTISQVE OMNIVM SVSCEPTIS
CVNCTA AD PERPETVVM VNIVERSITATVM COLLEGIORVM
ET PROFESSORVM MVNIMENTVM ET INCREMENTVM,
PRISCA VIRTVTE, ET PROBATIS LEGIBVS,
SANXERE.
TANTI HONORIS MONVMENTVM ÆRE PERENNIVS
FR. FELIX ROTVNDVS DE MONTE LEONE EX PROVINCIA S. FRANC.
ORD. MIN. CON. PVBL. SACR. THEOL. PROFESSOR IN VIA SCOTI, P.
ANNO REPARATÆ SALVTIS. M DC LXXIV.

Vniuersitatis gloriæ intentus, SS. Theologorum Collegio cùm præesset Decanus, splendorem addidit & decus, dum an. MDCLXXVII. omnium Patrum suffragio obtento, SS. Chlamyde violacea, seu *Amictu pelliceo* primus insigniuit, qua veluti Pontificia tessera, Principumq; munere virtuti donata, clariùs nunc emicat: Fauẽtibus Venetę molis firmissimis stilobatis, Excell. Hieronymo Basadonna Vrbis Prætore, & Leonardo Pisauro D. Marci Procuratore, Antenorei Lycei Moderatore.

Aliorum commodo, & honori studens, Bibliothecam ingenti, & selecta librorum copia, in pręfatis ædibus, ad successorũ sui Ordinis subsidium instituit, Lycei Trium-Virorum authoritate confirmatam MDCLXVI. Quin & pium erga prædecessorem suum Veglensem testatus est animum, honorifico monumento ipsi erecto in celeberrimo S. Antonij templo extra chorum, propè sacellum S. Prosdocimi, an. MDCLXXIX. quo è viuis ereptus est, ætatis annum agens LXXXVIII.

Plures honoris gradus ob virtutem emensus est; Prouincialis Terræ Sanctæ, Pro-Socius & Assistens Generalis assumptus ann. MDCLXXI. ad regularis obseruantiæ incrementum, juxta Constitutiones Vrbanas a Seren. Venetiarum Principe tunc admissas. Supremo sui Ordinis Hierarchæ promptè semper opem tulit, semperque in SS. Officio pro fide orthodoxa est a consilijs. Quid mirum si Romani Pontifices Alexander VII. Clemens X. & Innocentius XI. specialibus eum fauoribus & gratijs sint prosequuti, inter præcipuos Patres triplici diplomate conscribendo, illisque reddendo

parem? Cùm aliàs par ipsis sit vitæ integritate, rerum agendarum dexteritate, atq; studiorũ summa assiduitate.

Plurimùm in studijs & honoribus, præter cæteros sui Conuentualium Ordinis clarissimos Patres, potissimùm se debere palam profitetur Magno Virtutis Oraculo Mag. Laurentio Brancata à Laurea, qui nuper omnium plausu inter S. R. E. Purpuratos Principes adscriptus, sapientia sua, suaque integritate, animique candore dignitatem sacræ Purpuræ addit, quemadmodum tot voluminibus literarium orbem, & orthodoxum mirificè instruit.

Elogium FELICI fecisse videtur hoc lemmate, DOCET, ET MVLCET, eruditiss. Canonicus S.T.D. Thomas Herculanus, cui ni longior esse vererer, adjungerem P. Macedo Prof. olim eximij, in *Disquisitione theolog. de ritu azymi*, c. 14. p. 177. Carolique Renaldini testimonium *in Philosoph. tom. 1.* p. 962. & pag. 979. Magnum est a laudatis viris laudari.

Opera ab ipso edita.

Enchiridion Rhetoricum Dialecticum, sacrum & humanum Pat. MDCLXXIII. in 12.

Genealogia Corneliæ gentis ab an. MCCXL.

Poesie Sacre. Romæ MDCLV, in 12.

Opera edenda.

Philosophiæ contemplatricis & moralis cursus, in quo Atomistarum placita refelluntur, Peripateticorum confirmantur.

Tractatus Theologici in Quatuor libros Sententiarum, in quibus Scotus dogmaticus ostenditur.

Synopsis Professorum Conventualium, qui in Patauino Archi Lyceo Metaphysicam ducentis annis, & SS. Theologiam in via Scoti, ab anno MCCCXCVI. hactenus docuerunt.

Elogia Virorum & Mulierum Perusiæ ex sacro Minorum Convent. Ordine, vel sanctitate, vel doctrina, vel rebus præclarè gestis, insignium.

Orationes habitæ in collatione SS. Laureæ, cum Prologijs, & Dissertationibus theologicis.

CAROLVS RENALDINVS VEL RENALDINIVS:



IN vrbe non modo antiquitate, sed ædificiorum itidem elegantia ac majestate, opibus, portuſque commoditate celeberrima, Ancona, patre Scipione Renaldinio natus eſt CAROLVS an. MDCXV. die 30. Dec. h. 1. 52. E paterna præſertim ſtirpe, eximia bellicæ togatæque virtutis decora, auitæque imagines, quibus ad Majorum fido pede ſectanda veſtigia accenderetur, haud illi defuerunt.

Anno MCXCII. vt ex domeſticis ejus familiæ monumentis collegimus, Bartholomeus Senarum Conſul fuit, vbi Majores Renaldinæ gentis cunabula poſuerunt, Fabio Chigio Apoſtolicæ ſedis Nuntio, deinde in Petri cathedra, Alexander VII. teſtante in litteris ad Michaelem Renaldinium Equitem S. Stephani, CAROLI patruelem ſcriptis Monaſterij, XXII. Maij, MDCXLVIII. *Cui præſtare meam operam vellem in ijs quæ*

CAR. RENALDINIVS, ANCON. PRIM. PHILOSOPHIÆ PROF.

ad vivum Sculp.

longè majoris momenti sunt; tum quia tibi plurimum debere cognosco; tum quia grato quidem esse animo videri cupio, ob amorem erga me tuum. Accedit patriæ communio, quam cum primis tuis nobilissimis propagatoribus habeo. In patriæ subsidium omnibus exactis veri ciuis numeris spectabilem sese exhibuit. Cui Gualterius, an. MCCLXXIII. haud absimilem se præbuit, quemadmodum Vguccionus, qui floruit an. MCCC, quique Senensis exercitus summus fuit imperator in auxilium Reipublicæ Florentinæ an. MCCCIII. & apud eamdem Orator pro patria ann. MCCCIV. & MCCCXIX. obijt MCCCLXIII. Ventottus Renaldinius, an. MCCCVII. Volaterranæ militiæ Dux, rerum gerendarum peritia clarus, militiæque artibus præcellens, ad Robertum Neapolis Regem amplissima negotia tractaturus, an. MCCCXVI. patriæ nomine, cum insigni prudentiæ laude, legationem obiuit, quâ peractâ in Florentinorum auxilium aduersus Castruccium Lucæ Dominum, Senensis exercitus Imperatoris prouinciæ illi demandatur, quam dum summa strenuitate sustinet, armorum in discrimine, Altopasij vitam cum morte commutauit, an. MCCCXXV. Ita quidem moriens amplissimam summamque laudem adeptus, quam omni tempore viuens meruerat. Andreas Petri Ioannis vir insigni prudentia, omnique virtutum genere clarus, opibus affluens, Montagnoli castri Comes, Anconitanæ Reipublicæ autoritate renuntiatur, an. MCDLX.

Verùm, ne aliorum encomijs qui subsequentibus annis non minori sui fama floruerunt prolixiùs immorer,

ad recentiores trànsitum faciam. Scipio CAROLI nostri pater, quàm illustris militaribus gestis exstiterit vniuersa propemodum Italia nouit. Legationes quibus pro patria ad Paulum V. & Gregorium XV. PP. MM. & ad Cosmum II. Magnum Hetruriæ Ducem, maxima cum laude perfunctus est, illi non exiguum honorem contulerunt. Metellus Scipionis frater bellicis trophæis vndique affulgens, quantus qualisque fuerit, tot ejus facinora in Pannonia aduersus Turcas, cùm esset à consilijs Io: Francisci Aldobrandini, Clementis VIII. P. M. fratris, Ducis exercitus Pontificij, præclarè gesta luculenter ostendunt. Ioannes vtriusque germanus, posito in adolescentia inter Mantuæ Ducis ephebos ludicræ militiæ tirocinio expleto, in Belgium cum Ferrante Gonzaga perrexit, sub quo veram bellandi artem ita excoluit, vt quo tempore ibi hæsit, ampla trophæa in æuum duratura sibi statuerit. Inde profectum Henricus IV. *Magnus* cognominatus ad se euocauit, post quàm ejus fidei perspectæque Virtuti arcium regni non ignobilium reique tormentariæ prefecturam generalem Cœnomanensis Dux (vulgo *du Maine*) Catholici fœderis, quam *ligue* nuncupabant, præcipuum fulcrum, commiserat. Nec sine aliquo invidiæ sensu vidisse ferunt Galliarum Proceres, Italum hunc a Rege ita adamatum, vt secum ambulantem coram exercitu brachium ejusdem collo peramanter imposuerit. Is porrò cùm aliquot annos amplissima munia sibi commissa egregiè sustinuisset, in Italiam reuersus est, & statim a Neapolitano Pro-Rege Legatus ad Paulum

V. Pont. Max. grauissimarum rerum causa amandatus est. Et paulo post, vt Philippum III. de multis Neapolitani regni rebus moneret, Madritum petijt, vbi promeritis honoribus fuit cumulatus.

Hæc ad CAROLI genus spectantia συνοπτικῶς recensere, haud incongruum existimaui; quia etsi ea quæ non fecimus ipsi vix nostra putanda sint, si ex generis claritate splendorem accipiunt, hoc ipso majora esse debere necesse est. Quæ in CAROLO vera esse rerum experientia comprobauit; Hic enim a primis annis toto animo ad studia versus, non vulgarem ex illis profectum retulit, philosophiæ imprimis ac theologiæ potissimum sese adegit, ex nobiliorum autorum fontibus quę ipsum ad intimiorem cognitionem ferrent summa cum auiditate hauriens. Ratus autem se in scientiarum vestibulo hæsurum, neque in penetralia totam ingressus sibi copiam fore, ni physico mathematicas experientias, quibus in philosophicis lumen acciperet, illis adjungeret; Matheseωs studio sese applicuit, eo etiam animo, vt scilicet ad rem militarem si occasio ferret, paratior instructiorque foret. Nec euentus ejus propositum fefellit; Thadeus enim Barberinus pontificij exercitus imperator, eum inter præcipuos commilitones qui sibi a latere essent elegit, cui CAROLVS expectationi haud imparem operam præstitit.

Quam insuper doctrinæ famam mereretur, Vrbanus VIII. P. M. optimus doctorum æstimator, non obscurè declarauit, CAROLI disciplinæ Pro-nepotes tra-

dens, cui poſt nauatam egregiè operam honores amplissimos collocauit.

Sed & toga & ſago claruiſſe CAROLVM, hoc vnum euincit: Innocentius quippe X. Pont. Max. cùm excitandis in agro Ferrarienſi propugnaculis incumberet, quibus quaslibet frangeret hoſtium incurſiones, CAROLI opera vſus eſt, quam poſtea ſummam judicauit.

Ferdinandus deinde II. Magnus Hetruriæ Dux illum Piſas acciuit, illique primam philoſophiæ cathedram credidit, quam eximiè per decennium exornauit. Poſtea vt Principem primogenitum filium, philoſophiæ & matheſeωs præceptis erudiret, illum Florentiam accerſiuit. Abſoluto hoc officio, cùm ejus doctrinæ fama latè vagaretur, Patavini archi-Lycei Moderatores, ad primarium ordinariæ philoſophiæ locum invitarunt, ann. MDCLXVII. cujus decus egregiè ſuſtinet.

Neque tacere debeo, CAROLVM Veneti Collegij tunc Præſidem (id enim muneris & honoris vicibus ſuſtinent quatuor omnium primarij Profeſſores) illud in ampliorem locum publico decreto tranſtuliſſe, & ad longè nobiliorem honeſtioremque formam redigi curaſſe quod ad perennem memoriam duplici monumento manifeſtum eſt, altero intra, altero extra conclaue omnibus patente, quod hic tranſcribi placuit.

Inscriptio externa.

MAGNVM ET AVGVSTVM
PATAVINÆ VNIVERSITATIS COLLEGIVM
IN PRISTINVM AVCTORITATIS GRADVM IVSSV SER. REIP. VENETÆ
RESTITVTVM
QVOD OB POLYMATHIAM AD LAVREAM STVDIORVM CVLTORIBVS
CONFERENDAM
HIERONYMVS LANDO EQ. IN SVA PRÆTVRA, OB PHILOMATHIAM
EREXIT ANNO DOMINI MDCXXVII.
ZACHARIAS VALARESSO IN SVA ITIDEM PRÆTVRA ET
HIERONYMVS RAINERIVS IN SVA PRÆFECTVRA MAIORIS GRATIA DECORIS
AMPLIORI ELEGANTIORIQVE FORMA
AD EVNDEM VSVM IN OMNI DOCTRINÆ GENERE
CONSTRVCTVM HIC ESSE VOLVERVNT
ANNO A VIRGINIS PARTV, MDCLXXIX.

Inscriptio interna.

SVMMA CVRA, ET INCOMPARABILI VIGILANTIA
ILLVSTRISS. ET EXCELL. D. D.
REFORMATORVM
ALOYSII PRIOLI, DIVI MARCI PROC.
NICOLAI VENERII, DIVI MARCI PROC.
SYLVESTRI VALERII, DIVI MARCI PROC. ET EQ.
ERECTVM
ANNO REPAR. SALVT. MDLXXIX.
CVRANTE CAROLO RENALDINIO PHILOSOPHO PRIMÆ SEDIS.

Opera ab ipso edita.

Opus mathematicum, analytica elementa complectens, Anconæ, 1644. in 4.

Ars analytica mathematum: Tonitres, Florentiæ, tom. 1. an: 1665. reliqui Patauij, ann. 1667. & 1682. in fol.

Philosophia Rationalis complectens dissertationes dialecticas, rhetoricas atque poeticas: Patavij, an. 1682. in fol.

Opera edenda.

Philosophia naturalis complectens physicas & metaphysicas dissertationes, itemque cursum mathematicum.


Philosophia moralis complectens ethicas, politicas, & œconomicas dissertationes.

Commentarij in Aristotelis opera, vnà cum quæstionibus.

Dissertationes theologicæ.

Opuscula varia.


IOANNES CIGALA.



Oannes Cigala natus est ann. MDCXXIII. Nicosiæ Cypri Vrbe clarissima; in ea scilicet sortitus patriam Insula, quæ vt Venerem amoris parentem, Charitesque tulit, ita huic elargita est suauem oris speciem, & amabile ingenium. Commendat hujus nobilitatem genus antiquum & clarum, cùm apud Mamertinos in Sicilia, tùm apud Genuenses in Liguria, vnde Maiores ipsius profecti sunt; Inter quos Demetrius auus, rei militaris scientissimus, postremo aduersus Turcas bello Cyprio pro patria strenuè dimicando, acceptam à proauis gloriam amplificauit. Bellicam patris virtutem æmulatus est literarum & scientiarum studijs filius Matthæus, huiusce Ioannis pater, qui seris Græcorum nepotibus profuturus, Chronologiam vernacula lingua conscriptam edidit, Venetijs anno MDCXXXVII, in qua præcipua, quæ ab Orbe condito ad suam vsque ætatem euenere, compendio collecta æternitati consignauit. Composuit quoque sacros hymnos, in quibus suam erga Deum, Deiparam, & Superos religionem palam fecit. Nec minorem erga liberos, Ioannem scilicet hunc, Hieronymum, atque Demetrium, pietatem ostendit, dum illos posthabita patria, fortunisque

IOANNES CICALA, CYPRIUS, PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

Dubois Gall. ad Viuum f.





florentiſſimis, barbaræ Turcarum ditioni ſubduxit; eorumque vtilitati conſuluit, id præſtando quod & periti agricolæ, qui natas bono in ſolo tenellas plantas, vt feliciùs adoleſcant, vberioreſque reddant fructus, in melius transferre conſueuerunt. Tres itaque commemoratos Filios ille ipſe Romam duxit, orbis caput, ijſque aſylum obtinuit in collegio, Gregorij XIII. munificentia, Græcæ Nationi conſtructo, ex quo tanquàm ex equo Troiano non pauci prodierunt literis & doctrina præſtantes viri. In hoc ergo virtutum, ac ſcientiarum domicilium, cum duobus fratribus Ioannes admiſſus, tàm enixè literarum ſtudijs animum adiecit, ut ætatem ingenio vicerit, pluſque ipſe diligentiâ ſuâ, quàm operâ Præceptorum profecerit. Argumento eſt, quòd illi vix annum vigeſimum agenti, Græcas literas in eodem collegio docendi prouincia demandata fuerit, in qua ſuſtinenda octo annorum ſpatio eximiam laudem promeritus & conſecutus eſt; Nam ita impensè Attici ſermonis candorem & elegantiam coluit, vt ſi Attica illa Siren Iſocrates, aut Xenophon Muſa item Attica reuiuiſcerent, agnoſcerent omninò in hoc viro linguæ ſuæ lepores omnes, ac veneres. Neque verò ſi amœniora literarum ſtudia in delicijs habuit, ſeueriora deſpexit; ad Philoſophiam namque & Theologiam animum diligentiùs applicuit, in quibus ita excelluit, vt poſt exhibita palam perſpicacis ingenij ſui experimenta plurima, Sapientiſſimorum Virorum judicio meritò inter Doctores Philoſophos, & Theologos fuerit adſcriptus. Honorem hunc ampliſſimum acceptum refert Patribus Societatis Ieſu, præſertim verò

Tarquinio Gallutio Poetæ, Oratori, ac Philosopho eximio, & Sfortiæ Pallauicino, viro admirabilis ingenij; qui postea in Purpuratorum Ecclesiæ Principum cooptatus cœtum, incomparabili sapientia sua splendorem auxit purpuræ. Horum quippe alterum domesticum vitæ moderatorem, institutoremque morum, alterum in Theologia antecessorem ac ducem se habuisse meritò gloriatur. Exemplo tàm nobili permoti Ioannis fratres minores natu, omni conatu ad virtutis fastigium contenderunt; & quidem Hieronymus feliciter peracto artium omnium ac disciplinarum curriculo, vt erat moribus innocens, & ad religionem propensus, monasticam Magni Basilij amplexus est disciplinam, assumptoque Hilarionis nomine, totus in Euangelij prædicationem incubuit, & Apostolorum exemplo, bis Græciâ peragratâ, magno pietatis ac diuini cultus incremento, tandem vel inuitus in archiepiscopatum insulæ Cypri euectus est. Demetrius verò respersum Romæ palladio puluere crinem, in Patauino Lyceo, Philosophiæ ac Medicinæ laurea decorauit: tantamque vel iuuenis existimationem virtutis obtinuit Venetijs apud primariæ nobilitatis & auctoritatis viros, vt incolumitati suæ consulentes, apud se illum esse voluerint. Ex his duos honoris gratia nomino, Georgium Cornelium sapientissimum Senatorem, & Franciscum Maurocenum bellicæ virtutis gloria insignem, quorum alter Legatus ad Hispaniarum Regem Philippum IV, alter bello Cretico classis summa cum potestate Præfectus, suo illum in comitatu, vitæ præsidium, habuere. Magnæ pariter fuit existimationis cùm apud alios Turcici

imperij Proceres, tum vel maximè apud primum Visirum Achmetum, qui eum accersitum Adrianopolim, apud se, donec vixit, detinuit, perhumaniterque tractauit, ac magnis cohonestauit muneribus. Sed tantus Vir proximè superiore anno, cum esset Costantinopoli, grassante in ea vrbe contagione, proecoci fato ereptus est, vnà cum Archiepiscopo Hilarione, qui cùm fortè fortuna per id temporis illic adesset, dùm Fratri decumbenti, agentique animam, suprema Christianæ & Catholicæ pietatis officia persolueret, eadem correptus lue decessit, non sine magno omnium mœrore ac luctu. Ita quos amor in terris iunxerat, mors dissociare non potuit. Solatur tamen eorum iacturam Ioannes hic noster, nec vllum fraterna virtus, tanto Viro superstite, patitur detrimentum. Nam sextus decimus vertitur annus, ex quo Excellentiss. Veneti Senatus honorificentissimo decreto conductus, an. scilicet MDCLXVI, Naturalem Philosophiam in hoc Athæneo profitetur, tàm fideliter Aristotelis doctrinam interpretando, vt in rebus dubijs, & obscuris nequaquam se patiatur ob Græcæ linguæ peritiam ab vllo Interprete decipi; quin, vbi res postulat, aliorum deceptione detecta, abditam Stagiritæ mentem aperiat Auditoribus suis, quorum vtilitati cùm publicè, tùm priuatim docendo adlaborare non desinit. Dignitatem porrò publici Professoris non exornat modò literis & doctrinâ, sed morum etiam integritate, & ingenita quadam ac peramabili naturæ facilitate, qua mirè sibi deuincit amicorum animos, omniumque beneuolentiam conciliat.


ANTONIVS DE MARCHETIS.



Nus est è filijs Petri, anatomici Professoris celeberimi, D. Marci Equitis, medicis ac chirurgicis operibus clarissimi, frater Dominici, Professoris eximij. Natus est Patauij, an. MDCXL. Humaniorum litterarum studijs maturè applicatus, non parùm in illis profecit. Philosophiam dein addiscere cœpit, medicinamque tanta felicitate, vt paulo post vtriusque facultatis insignibus solemniter decorari promeruerit.

Iuuenis medicinam exercuit, & manuducentibus Patre Fratreque, multis ægrotantibus placendi artem invenit, quam, vt notum est pauci tametsi senes adipiscuntur. Hinc Veneti Proceres Archi-Lycei Patauini Moderatores illum ad anatomen tractandam delegerunt, an. MDCLXX. Hac illi collata prouincia, qualis esset quantumque in humani corporis dissectione, subtilique omnium ejus partium indagine peritus, breui satis luculenter ostendit. Multa a Veteribus nondum excogitata, Recentioribusque adhuc parùm


ANTONIUS DE MARCHETIS, ANATOMIÆ PROFESSOR



pervia in theatro anatomico publica fecit. Ductum a liene ad intestinum Duodenum sæpè demonstrauit, rem ab Anatomicis inter incertas & dubias habitam. Tabulas ille profert, in quibus glutinata prospiciuntur humani corporis vasa, inter quæ & hoc refertur: Liberum porro cuiqua, sit idem in cadaueribus exspiscari. Nunquam absque summa voluptate vidisse me profiteor hasce non imagines modo aut ectypos, sed ipsas veras sanguinis spiritumque canales, arterias, venas, nervosque, omnia dexterrimè auulsa, tabulis amplissimis imposita, & in æuum duratura: quibus maxima Naturæ miracula oculis exponuntur, nec minori argumento concludere licet, quantùm homo nihil est.

Magnatibus popularibusque a quibus frequenter recuperandæ saluti admouetur, singulari in medendo diligentia apprimè acceptum se præbet. Medicinæ Chirurgiæque studiosis, doctrinæ claritate & dissecanti peritia, quibus rei anatomicæ abdita reserat atque præterea morum suauitate, mirum in modum gratus est: His artibus ejus nominis celebritas famam acquirit eundo.

ANTONIVS MARIA DE BLANCHIS.



Atus anno MDCXXX. VI. Augusti, egregia indole puer, vt tenerum pietate imbueret animum, monasterium minorum S. Francisci de obseruantia ingressus est, an. MDCXLV. Probationis tempore expleto, statim a Generale suo P. Io. de Neapoli, genere & virtutibus claro, studiorum causa Neapolim mittitur, ad montem Caluariæ dictum, bonarum tunc artium seminarium. At seditione suborta, populique furore ibi sæuiente, protinus in patriam redire coactus, F. Hieronymum de Plebe Sacci, lectorem jubilatum, in philosophia magistrum habuit: Tantumque sub eodem profectum fecisse, & mentis Philosophi exhausisse visus est, vt in disputationibus tum priuatis tum publicis alter nuncuparetur ARISTOTELES; qua denominatione illum postea consalutare viri summi ac docti, voce & litteris consueuerunt, quem tandem cum honore apud omnes semper retinuit.

E naturalibus ad supernaturalia conversus, Theo-

R. P. D. ANTONIVS MARIA DE BLANCHIS, VENETVS, MIN. DE OBSERV. METAPH. PROF.

logiæ operam dedit, & diuinorum arcana scrutatus; Patrum in ea pias meditationes percurrit, Mediolani primùm, Veronæ deinde; vbi sacris vix initiatus, insueta sui ordinis constitutionum dispensatione, plures honestos sed sæculo dicatos juuenes, Logicam docere jubetur, quovsq; factus Sacerdos ad philosophiam publicè disentiendam in monasterio S. Francisci a Vinca Venetias statim reuocatus est. Quam susceptam prouinciam dum sedulò peragit, ita Auditoribus se præbuit proficuum, vt ex vna schola tres opus fuerit instituere, Harum prima vitæ monasticæ addictos suscepit, altera nobilitate fulgentes, tertia selectæ juuentutis genus omne continuit. In his triplicibus & ipse lectionibus quotidie adfuit; licet alijs detentus occupationibus, vt pote qui Sacram Scripturam festis diebus in Ecclesia propria interpretari teneretur. Quæ omnia nullo non tempore promptè accurateque exequendo, doctrinam & ingenium viri impensiùs propagauerunt. Reu. P. Squadrono monasterij S. Georgij Abbati in animum venit P. ARISTOTELEM tanta existimatione pollentem suis Monachis præficere: Ab officio tum maximè cessante P. Cottonio, Patauini archi-Lycei in cathedram metaphysicæ assumpto: Sed reluctantibus Prouinciæ Patribus, dum voto frustratus Abbas, Majorum inuocat autoritatem, P. ARISTOTELES ita se gessit vt ab incœpto consilio sese Abbas, omnibus consentientibus, subduceret.

Philosophicarum lectionum finis erat, triennio transacto, cùm Apostolicæ Sedis Nuntio Caraffæ placuit

illum prædicti monasterij a Vinea Professorem Theologum declarare; cujus arduas muneris partes, per multos annos consecutus, Custos exinde Prouinciæ declaratus est, quamuis sextum suæ ætatis lustrum nondum superasset. Regimen illud est a Generalatu primum, a quo deinceps Prouincialatus ac Visitatoriatus dignitatibus (parcant Tulliani manes) ceterisque sui ordinis præeminentijs, vsque ad annum MDCLXIX. sæpè condecoratus est.

Anno sequenti, Patribus in vniuersali, vt vocant, capitulo Vallesoleti indicto, congregatis, Minister generalis electus, dubius cui Cismontanas Familias committeret gubernandas, per id tempus quo a summo Pontifice delectus Franciæ prouincias post Hispanas visitaturus erat, P. ARISTOTELEM etsi absentem Vicarium suum generalem, rarissimo exemplo Discretorumque PP. consilio nominauit; qui delatum sibi honorificum munus per decem & octo menses iustè diligenterque administrando, omnium vota adimpleuit.

E tam longa monasteriorum peregrinatione reuersus, cathedram metaphysicæ in almo Patauino Lyceo, quam sponte abdicauerat Romam petiturus illustris Professor P. Cottonius, obtinuit. In ejus enim locum suffectus est, die XVII. Oct. MDCLXXII. ad id vnanimiter consentientibus III Viris academiæ moderatoribus, Nicolao Sagredo Equite, D. Marci Procuratore, quem in supremo R.P. solio sedentem vidimus, Aloysio Contareno D. Marci Procuratore & Equite, cui, defuncto Nic. Sagredo, Ser. Ducis dignitas accessit,

Petroque Basadonna, Equite & D. Marci Procuratore, jam S.R.E. Cardinale, viris omni ex parte sapientissimis. Ita P. ARISTOTELES primus sui Ordinis fuit qui Patauinis in scholis cathedram ordinariam ascenderit.

Binas Theses theologicas varijs annis Romæ promulgauit: Primæ quidem inscriptæ sic erant, NABVCHI STATVA, emblematibus eruditis, iconibusque præclaris ornatæ, quas Ser. Nic. Sagredo Venetiarum Duci dicatas in Ordinis sui generalibus comitijs, ingenti Auditorum plausu deffendit. Ijs præmium illico delatum est, Patribus enim eo ipso die congregatis, P. ARISTOTELES Definitor generalis creatus est, an. MDCLXVI. In sequentibus Comitijs, an. MDCLXIX. alteræ Theses non minori gloriæ prodierunt, quibus *Quidquid disserit Scotus de incarnatione verbi, bene dißerit*, assertum erat: Eas sua præsentia Card. Ottobonus ex S. C. cohonestauit, quod Ser. R. P. dicatæ fuerint.

Non tacebo P. hunc ARISTOTELEM vt eruditis viris sic Principibus multis percharum esse. Ser. Poloniæ Rex Michael litteris Varsariæ scriptis, *Venerabili Antonio de Venetijs, Ordinis Minorum Obseruantiæ, Cismontanæ Familiæ Vicario generali, deuotè nobis dilecto*, nouam monasteriorum fundationem postulabat, quorum Patres Solymorum deuotionem pro more studiosè colerent. Propositum id pium religionis augmentum, defuncto Rege, precarijs suis litteris, Vilnæ Episcopus regni Primas sæpè prosequutus est.

Sed hæc de P. ARISTOTELE sufficiant, cujus eruditas meditationes typis afferendas plurimi desiderant.

IORDANVS IORDANI.



ORDANVS IORDANI parentibus ingenuis, an. poſt Chriſtum MDCXLIV. menſe Auguſto, Patauij natus eſt. Humanioribus litteris ab ineunte ætate non leuiter ſalutatis, pia adoleſcentis animum ſe a mundi periculis abducendi vitamque monaſticam ineundi cogitatio ſubijt. Hortatu igitur R. P. M. Hieron. Herculani Patauini, viri è Prædicatorum familia libris editis abundè noti, vitæ liberiori valedicens, ad D. Dominici ordinem ſextum decimum ætatis annum agens confugit. Venetias ideo ad DD. Ioannis & Pauli celeberrimum ejuſdem inſtituti cœnobium ad ſacrum habitum ſuſcipiendum miſſus eſt; vbi propoſitæ vitæ experimentis datis, tyrocinio expleto, Patauium redijt.

Ibi R. P. M. Iac. Salomonium è Cretenſi colonia, Curiæ epiſcopalis theologum, in Thomiſtico Ordinis Lyceo philoſophiæ præcepta tradentem, adeo attentè auſcultauit, vt ei non exiguum progreſſum impigri labores attulerint. Mox ibidem in Theologiæ ſtudentium cœtum admiſſus, breui ſub eodem præceptore, tunc ſumma ſtudiorum lora moderante, Theologiæ

R. P. M. IORDANVS IORDANI, ORD. PRÆD. LOGICÆ PROF.

quoque ſtadium fuit laudabiliter emenſus. Porro ne ſine præmio tam egregiè deſudaſſet, artium Profeſſoris inſignia ab ejuſdem Salomonij manu ſuſcepit. Dein dignitatem cum munere conjungens, in Patauino D. Auguſtini cœnobio philoſophiam prælegit.

Sic cum animum & linguam non modò domeſticis verùm etiam publicis diſceptationibus affatim imbuiſſet, fortis athletæ in morem, ingenij vires in ſumma prouincialis Ordinis comitiorum ſcholaſtica arena experiri voluit. Magno itaque Auditorum applauſu, Thomiſtico-theologica dogmata Tarviſij propugnauit, difficultatum nodos ab oppugnantibus conglobatos mira facilitate diſſoluens: Ex quibus eam doctrinæ laudem retulit, vt vnanimi omnium Patrum conſenſu, Theologiæ moralis cathedra in Thomiſticæ Patauini monaſterij palæſtra ei fuerit demandata.

Interim ejus virtute permotus Emin. Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Patauinus, ei ſacri Ephæbei clericos, philoſophiæ præceptis inſtituendos tradidit, quod pereximiè præſtitit.

Tot jam ingenij ſui luculentiſſimis experimentis datis, Romam a ſummo Ordinis moderatore accitus, coram eodem Reu. P. Generali, alijſque ſummis ejuſdem familiæ Theologis, examen multa cum laude ſubijt. Qua propter eum in Patauino ſui inſtituti generali gymnaſio ſecundum theologicæ cathedræ moderatorem renunciauit.

Tandem anno MDCLXXIV. cognitis viri meritis, ad Logicæ cathedram vrbis Patauinæ primates, penes

quos hujuſcemodi cathedras conferendi eſt facultas; cum minimè ambientem, ex multis id efflictim atque ad pienſationem vſque cupientibus, honorificè euocarunt. Quam nunc quàm præclarè gerat, ſeduli labores teſtantur.

Supremam quoque cœnobij curam tanta prudentia, tantaque religione exercuit, vt omnibus eo exacto munere, anxium ſui deſiderium reliquerit. In eo ſiquidem Prioris officio tam laudabiliter ſe geſſit, vt Patribus ſe morum normam, religionis, pietatiſque exemplar exhibuerit.

Et quidem ſi cuncta quæ ordini conducibilia, Patribus grata, cunctiſque mira in illo patrauit, literarum monumentis conſignare vellem, vltra breuitatis ſepta mihi propoſita nimis profectò tranſilirem. Dignoſcens Reu. P. Oliuerius Tegius Ferrarienſis, vir ex Minorum conventualium cætu conſpicuus, Patauij & diocæſeωs contra hæreticos generalis quæſitor, quanto in eo munere ſibi vſui eſſet futurus, illum anno MDCLXXX. præcipuis Sancti, quod dicunt, officij Conſiliarijs cooptauit. Ad eminentiores cathedras tot inſignibus dotibus præſtantem breui perventurum, nullus eſt qui non ominetur.

IORDANVS IORDANI PATAVVS:
Anagramma, mutato V in S,
NARDVS IS PATAVINIS ODORA.
Virtutem IS florens PATAVINIS NARDVS ODORA,
Iordanis meritò quam ſacra lympha rigat.

Io: Bened. Perazzo S. T. M.
& Conu. SS. Io: & Pauli Venet. Prior

IACOBVS PIGHII, VERON. PRIM. ANATOMIÆ PROF. HORTI PRÆF.

IACOBVS PIGHIVS.



On nunc primùm ignotum Musis nomen in publicum prodit. Nam cui Superi inter ingenuas & honestas animas tam egregium locum destinauerant, non illud voluere tot actis sæculis cælare Mortales, vt Pighiæ gentis fama non magis apud posteros speranda sit, quàm apud majores quærenda. Vt enim reticeam reliquos, eminet Albertus Pighius, eruditissimi Card. Baronij testimonio, incredibilis, ac diuini ingenij vir, pietate & sacrarum litterarum monumentis clarus. Eminet alius Iusti Lipsij laudibus & amicitia celebris: neque Iosephi nomen cum vita extinctum est, quin Ottonellus Delcalzius insignis I. C. Patavinus vtriusque juris laurea decoratum, Veronam misit, vbi egregiæ virtutis non vnicum exemplum conciuibus dedit.

Hoc sanguine & hac Patria post varios casus (quid enim attinet hic mortalitatis ludibria referre) honestissimo loco IACOBVS PIGHIVS in lucem venit.

Vix pueritiam egressus, nescio an fatis magis vel

parentibus destinatam sibi sortem monstrantibus, in studia litterarum vehementius, quàm pro ætate, exarsit; per quarum omnes gradus liberaliter educatus, tandem cum ejusdem ætatis adolescentibus Patauium se contulit, vt in hac ciuitate studiorum sede ac magistra, non solùm altiori sapientia capacem animum impleret, sed in tanta nationum varietate, ac frequentia, mores etiam ad sæculi venustatem componeret.

Neque in illo aut Parentum vota, aut opum auiditas, sed factum ad sapientiam ingenium, hunc Musarum amorem accendit, cùm nihil vnquam præter earum pulchritudinem amauerit, sæpius adhuc puer obtestatus, nulla aut honorum aut diuitiarum conditione persuaderi sibi vnquam posse, vt a bonis artibus mentem deflecteret.

Hunc animum supra vulgi consilia erectum primò ad Iurisprudentiæ eruditionem adjecit. Mox hortantibus amicis, qui in Pighio adhuc adolescente, placidum, modestum & seriò prudentem genium introspexerant, studium ad Medicinam convertit, cuius facultatis Doctor, vix annum vigesimum primum emensus, renunciatus est.

Hac dignitate auctus, nihil grauius ferebat quàm quod relicta vrbe scientiarum parente, Veronam esset redeundum, vbi sapere & sperare, nimis sobriè licebat. Multum erat patriæ ingenium debere, alibi fama & fortuna quærenda erat. Nec difficile fuit, obtentu vtililatis & gloriæ, id facili Parenti persuadere: Fata enim siue Deus immortalis, vt certis deinde indicijs

approbatum est, non immodesti adolescentis curam agebat.

Venetias igitur se contulit, vt in tam frequenti populo citiùs Artis tyrocinium poneret. Mox gliscente in dies Cl. V. Raimundi Io: Fortis fama, vt arcana remedia ac documenta nosceret, huic viro se applicuit.

Sed solertissimus senex non mediocria de Pighio auguratus, illum non solùm amauit, sed proprijs Laribus excepit, vt per totum triennium, neque Parentis charitatem, neque suauissimi Præceptoris disciplinam omiserit, vt sponte assurgentem indolem etiam fauore ad summa proueheret.

Eminebat eodem tempore inter præcipuos non medicinæ solùm, sed rei anatomicæ Professores admirabilis ingenij vir Antonius Molinettus, cujus frequenter consortio PIGHIVS fruebatur, vt non solùm sublimem, & à vulgo semotam sapientiam eliceret, sed vt secandi humani corporis rationem, ac methodum edoceretur, repetente subinde Molinetto se hoc vno discipulo esse contentum, quem inter filios, quos summæ nec fallacis spei, vt docuit euentus, habebat, jam prope numerabat.

Tam excelsis auspicijs medicæ & anatomicæ facultatis non magis rudimenta posuit, quàm venturæ sortis omen accepit. Sed interim alia parte terrarum struebat illi diuinæ prouidentiæ cura, initia causasque fortunæ. Redierat Venetias PIGHIVS, & jam suo marte medicinam facienti fortuna aderat & Procerum fauor, cùm repente Antonium Molinettum Parmæ extinctum

esse non mendax rumor vulgauit. Siue ambitus siue proprij meriti conscia virtus plures ad petendam dignitatem excitauit, quam ille cum vita reliquerat. Inter candidatos, PIGHII nomen voluerunt enumerari, qui illum amabant vel nouerant. Verebatur enim ille invidiam ætatis, quæ tamen nihil obstitit, quo minus cunctis prælatus octo supra viginti annos natus in primam anatomiæ sedem succederet an. MDCLXXV. Hyems erat, & jam instabat dies anatomicis administrationibus destinata: Nihil ille tamen angustia temporis territus, venit, administrauit, & placuit. Nihil enim in illo vulgare est, siue eloquentiam spectes, siue doctrinam; nec Auditores magis erigit acumine ingenij, quàm pudicæ, & sponte fluentis orationis nitore demulcet. Nunquam sibi persuadere potuit esse ex majestate scientiarum, intra incultam vocabulorum barbariem non magis illas contineri, quàm sordescere. Amat ille Aristotelem cum Demosthene sæpe confundere, reuera vt ingenio suo magis indulgeat, quàm vt famam aut populi plausum aucupetur, cujus penitus incuriosus, illam potius non contemnit, quàm anxiè quærat. Subit etiam me PIGHIVM audisse dicentem, se magis objurgatoribus quàm immodicè assentantibus gratias habere, tum quia non acrioribus magis quàm æmulationis aut invidiæ stimulis ad virtutes vsus sit, tum quia intolerabilis speciem seruitutis esse existimaret, eò hominum laudibus prouehi, vt sine famę periculo errare amplius non possis.

In rerum causis inquirendis neminem vnum sequitur;

viuido ac libero ingenio illos eligit qui majora habent momenta ad persuadendum. Rejectis verborum inanitatibus, solidis principijs & naturali prᴂsertim historia delectatur, quibus fortiter innixus, sæpe cum successu asperioribus rebus, sententiam suam interponit. Sæculum denique amat in quo natus est, & cuius ipse si vita suppeditauerit, non inutilis portio futurus sit.

Dum igitur credito sibi muneri tam seriò incumbit, jam fatalis dies Io. Forti aduenit, qui grande *Consultationum* volumen quod adhuc sub prᴂlo erat, PIGHIO inter extremos anhelitus commendauit, anxiè rogans vt suis ipse manibus Augusto Cæsari Leopoldo Romanorum Imperatori traderet, cui jam illud votis destinauerat. Ille solatus morientem summâ diligentiâ se mandata curaturum promisit, neque dictis fides abfuit.

Sed PIGHII in Germaniam aduentum jam eius nominis fama præuerterat, tantaque illum clementia Cæsar excepit, vt non solùm Raim. Io. Fortis munus tradi sibi impigrè pateretur, sed cordis oculique anatomen sibi ab illo iuberet ostendi, eiusque sapientiam, vt postea vulgatum est, admiratum fuisse coram aulæ Proceribus testatus, aureis & argenteis donis auctum non antea dimiserit quàm de propriæ salutis regimine quædam interrogasset. Nec dimisisset si in liberum hominem incidisset, nec Serenissimæ Venetæ Reipublicæ stipendio addictum.

Ipsa etiam Eleonora Augusta Ferdinandi tertij vxor, excelsa illa indole animoque sublimi, atque exerta majestate quæ illam imperio dignam fecerat, cordis

oculique fabricam, PIGHIO monſtrante, voluit inſpicere, vt quarum partium arcanos affectus, incredibili, qua poſſet ſagacitate, ſæpe in viuentibus deprehenderat, earumdem occultum artificium non ignoraret. Illum deinde muneribus imperatoria liberalitate cumulauit, & per Oenipontem tranſeuntem Regiæ Filiæ, Ser. Lotharingiæ Ducis vxori commendauit ijs litteris, quæ ſinceram in illum beneuolentiam proderent, jamque in Italia degentem clementiſſimis epiſtolis dignata eſt.

Hæc tamen ſors & ſummorum Principum fauor qui pleriſque hominum ad æternum tumorem & faſtum ſuffeciſſet, PIGHIVM forè non ſentientem præterlapſus eſt. Adeo quam prudentiam modeſtiamque alii nonniſi multo labore ab invitis animis exprimunt, ipſe veluti præeunte natura ſeueriſſimè implet.

Hiſce virtutibus compoſitus animus, & pro conditione fortunæ liberalis & gratus, adeo placuit eximio viro D. Georgio a Turre, vt in publici horti præfectura, ſibi illum ſucceſſorem optauerit, partemque honoris & oneris, Excell. Senatus decreto, in illum reclinans, non validę conſtantique ſenectuti ſubſidium, ſed benefacti conſcientiam, & pro ſua erga patriam charitate, ſibi ſolatium in futurum quæſierit.

Ita PIGHIVS rei anatomicæ & herbariæ feliciter incumbens, nominis ſui famam egregijs & nobilibus ſtimulis fortiter ſapienterque ſollicitat, quæ adhuc inter viuos agentem non ſolùm gentibus & nationibus ſed magnis etiam Principibus oſtendit.



CAROLVS PATINVS, EQVES D. M. PRIMARIVS CHIRVRGIÆ PROFESSOR

CAROLVS PATINVS.



LVcem hominum fugere, vulgique judicio ſeipſum ſubducere, tranquilliſſimum equidem vitæ genus eſſe docet contritum illud vetuſtate prouerbium, Λάθε βιώσας; quod eleganter expreſſit Poëta,

Crede mihi, bene qui latuit, benè vixit, & infra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Iam rectène an ſecus traditum hoc ſit ab antiquis præceptum, hujus loci non eſt excutere; maximè cùm in manibus habeamus ea de re ſingularem libellum Plutarchi, vbi negat ſequendum eſſe hoc priſcorum Sapientum conſilium. Quin imò quod idem alio libello περὶ τῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως pereleganter docet, licere interdum ſapienti ſeipſum laudare. Quidquid ejus ſit; eſt hoc certè a mente mea alieniſſimum; nam & de me ipſo nihil omnino ſcribere tutius fore ſcio, & mihi mehercle gratius. Sed vt hic judicio voluntatique meæ indulgere poſſem, cauſæ plures obſtiterant, in quibus ſunt inſtituti argumenti ratio, quod imperfectum relinquere conſultum non putaui; & amicorum preces jamdudum tale quid a me non rogantium, ſed

tanquam debitum exigentium, cùm singularem meam εἱμαρμένην non ignorarent, quæ me tanquam fortunæ pilam hinc inde volutauit, vt in tot hominum gentiumque conspectum atque hanc mundi scenam, etiam invitum prodire compulit. Ne igitur horum vel auctoritatem aspernari, vel voluntatem negligere videar, de me quoque quædam in præsentiarum dicere animus est; non fiducia morum, nec arrogantia quacunque inducto, quarum alterutra sui ipsius scriptores solicitari opinatur Tacitus, *in vita Agricolæ*, sed vt vitam meam, quoniam id tractationis nostræ ratio requirit, procul ab omni gloriæ cupiditate, vt reuera acta est, exponerem, & quasi per transennam alijs inspiciendam exhiberem.

Guido Patinus mihi parens fuit, medicus Professorque Regius, Io. Riolani successor: ἀνὴρ ἄριστος καὶ πολυμαθέστατος, *Deambulantis musæi, spirantisque bibliothecæ* cognomina adeptus, βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. Meritis ejus laudibus detrahere viderer, si patefacta quam ejus Manibus debeo pietate, quicquam superadderem. Viget etiamnum in Litteratorum animis ejus viri memoria, quam artis peritia & doctrina varia, cum singulari morum sanctitate conjuncta, in Gallia & vicinis ei regionibus excitauit. Germanos appello ejus rei testes, hominum sincerissimos, qui cùm consilia ejus & opiniones certatim expeterent, non solùm communem amicum sed etiam parentem vocare consueuerant. Matri nomen Ioannæ Iansoniæ fuit, cujus amori & lac per XX. menses haustum debeo, & sollicitam

pueritiæ inſtitutionem. Hæc monentibus matronis vt me nutrici pretio quæſitæ, vt frequenter fieri amat, committeret, indeſinenter obijciebat intolerandæ ignauiæ reas eſſe matres, generare infantes quàm lactare aut educare cupidiores; ſicque optimam ſæpè ſobolem degeneri nutrimento lactis alieni corrompentes. Coniunctionem prætcrea cum nobiliſſimis Familijs matri huic optimæ & pientiſſimæ debeo, quam etiam illæ hucvſque profiteri meque cognatum ſalutare non dubitarunt.

Dignum eſt relatu quod in ipſo ſtatim vitæ limine mihi accidit, quod ij qui diuinandi artem profitentur, lætum ſignum auſpiciumque eſſe communiter aſſerunt. Membrana galeæ ad inſtar, naſcentis caput tegebat, quaſi Natura inuſitatum hoc involucrum palpebris oculorum obijeciſſet, vt humanæ vitæ miſerias tardiùs aſpicerem; vel vt me potius contra tot impendentes ærumnas armaret. Hanc, vt dicam quod ſentio, vltimæ membranæ fœtum involuentis, quam ἄμνιον nuncupant, reduplicaturam eſſe cenſeo, ludentis Naturæ nec aliud vaticinantis opuſculum.

Natus XXIII. Februarij, an. MDCXXXIII. Lutetiæ Pariſiorum Galliæ metropoli, priùs me ſtudijs occupatum ſenſi, quàm quid eſſent ſtudia novissem. Tertio ætatis anno legere, quarto ſcribere, mater mea virilis animi fœmina docuerat: Pater pro temporis modulo, cuius ſolius erat auariſſimus, familiari colloquio latinè audire & fari ita inſtituerat, vt antequam ſextum annum attingerem, naturali quaſi facilitate latinè cum litte-

ratis, & gallicè cum domesticis verba facere liceret?

Immersum artis exercitio Parentem meum solertibus amicisque curis subleuauit D. Gontier, quo suo præcipuo medico etiamnum vtitur Roanna eius patria, vrbs ad Ligerim satis celebris. Huic viro, humaniorum, vt vocant, litterarum non rudimenta solùm, sed & quidquid tenellæ ætati infundi poterat, debere me grato animo profiteor, & præcipuè historiæ tum græcę tum latinæ syntagmata. Ex instructissima Parentis bibliotheca, copia librorum & raritate atque delectu, nullius vnquam hominis priuati visa est inferior, libros quidem suppeditauit, sed parciùs quàm cupiditas legendi quâ ardebam requirere videbatur: Quare calliditatem vtroque innatæ autoritati adiungente, librorum omnino non hęredem modò sed patronum me pronuntiauit Parens, quos sine versionis auxilio intelligerem: Fortunam nulli Regum comparandam verbis amplificante Præceptore, omnem operam addiscendæ linguæ gręcę addixi, eòque effecisse visus sum, vt re supra votum eorum succedente, Plutarchum, Dionem, Diod. Siculum, Dion. Halycarnassęum, Xenophontem, Homerum etiam Poëtarum patrem cum aliis quibusdam pręcipui nominis Scriptoribus mihi reddiderim familiares. Italos interea Hispanosq; non neglexi, quorum elegantias & χάριτες, seu ad cultum animi, seu ad seueriorum studiorum intermissionem magna cum sollicitudine comparare gestiebam.

Vndecimo ętatis anno, ne tempus eundo redeundoque perderem, in collegio Pręlleo-Bellouaco collo-

catus, Cl. Alberti curę & amicitię commendatus sum, singulari doctrina viri, qui solito docendę Rhetoricę muneri, pręclara belli Troiani facinora manè, XII. tabularum leges vesperi exponebat; Non minùs dignum quàm gratum audienti mihi argumentum. Rapiebant animum, fateor, quę condiscipulis aut duriora aut inutilia studia censebantur: Quare cùm me illis attentiorem notassent Pręceptores, alijs me destinarunt studijs quibus adolescentis animi impetus maturè coërceretur. Sic sacris Philosophię initiatus, biennium exercitationibus argumentationibusque transegi, noctibus etiam breuiori, vt videbatur, dierum spatio, adiectis.

Ita studijs bellè succedentibus, supervenit quod mentem impensè turbaret. Conclusiones meas grecolatinas (pro solito Parisiensium more amplissimas, vt pote totam continentes philosophiam) typis expressas cùm Professori meo Rogerio Omoloy, Hiberno, philosopho non incelebri, censuræ causâ detulissem, negauit eas se inspecturum, me monstrum aggredi insuperabile, id quod nullomodo comprobare posset. E memoria nunquam excidere poterunt lacrymæ tunc temporis profusæ, actum esse de me (pœnitet me etiamnum puerilis animi) existimabam. Sola Parentis solertia modum tulit: Cùm enim ad se R. P. Cyrillum Rhodocanacem Chium studia mea moderantem (quem postea Patriarcham in Oriente renuntiatum fama est) vocasset, vnâ decreuerunt me, si animo vires non deessent, etiam absque præside officio fungi debere, diffi-

cultate omni in eo posita, quòd linguæ græcæ planè ignarus esset Professor. Commisissem me certò tanto certamini, adeo temerarium effecerat desperatio, ni prudentiori consilio Professor suam famam agi edoctus fuisset: Itaq; IV. Iul. MDCXLVII. post exactum ætatis annum XIV. præsentibus Nuntio Apostolico, XXXIV Episcopis, Aulæ, Senatus, Vrbisque Proceribus, post bilingue quinque horarum discrimen, feliciter laurea philosophica decoratus fui, quam modestiori titulo *Magisterium artium* Parisienses nuncupant.

Post elapsas aliquot hebdomadas venationis delectationi destinatas, à qua tamen non rarò inspectoribus illusis, ad studia me surripiebam, ad quæ innato quodam ardore dicam an furore ferebar, Parisios reuersus de vitæ conditione eligenda consilium agitari cepit. Medicinam gerebam in oculis, dilectissimæ Philosophiæ sororem, artem vitæ salutisque custodem, cujus amorem Parens meus non vulgarem inspirauerat. Obstabat auunculus quidam meus, & ipse Iurisconsultus, qui cùm se sine liberis videret, me fortunarum suarum hęredem scribere & in filium adoptare, simulq; pro forensi aliqua dignitate mihi comparanda pecunias suppeditare promiserat: Est hoc nimirum χρυσᾶ ὄρη ὑπισχνεῖσθαι vt aiunt, *aureos montes polliceri*. Tantæ autem autoritatis viro, vt hic erat in nostra domo, neque ego neque Parens meus quidquam quod tanto beneficio reponeremus habere nobis videbamur. Iurisprudentiam itaque aggredior, tanto cum desiderio, tantaque animi contentione, vt qui mihi præerat celebris ante-

cessor Monginus, post XVI. menses, adipiscendi I. V. Doctoratus tempus esse pronuntiauerit. Dictum, factum, prævijs Pictauiensibus, vt vocant licentijs, sacramentum in medio Senatu Parisiensi præstiti, præsentante me eloquentissimo viro D. Bataille, quo scilicet ad jus vnicuique tribuendum obligabar. Sexennium totum hisce studijs impendi, Iuri scilicet Romano, Institutis, Digestis, Codice, legibusque alijs comprehenso, quibus & Ius nostrum Gallicum junxeram. In his tamen dum versabar, nocturni temporis magnam partem quasi furtim, artis medicæ jucundioribus studijs addiscendis consumebam.

Sapientiam Parentis mei hic reticere nequeo, qui quæ vera essent expiscatus, monuit me rebus meis attentiorem esse debere, silentiumque Auunculi in malis esse habendum. *Sis Patronus*, inquiebat, *sis Judex, nunquam ad amplissimos magistratus prouehi poteris, solis scilicet Proceribus opulentissimisque servatos. Parci tenacisque Auunculi promissis lactari te decipique non vltrò patiaris. An continuò alterius siue opinioni, siue ignorantiæ, fortè & nequitiæ mancipatus esse cupis? si derelictis è contra forensibus jurgijs, ad Medicinam te contuleris, naturæ penetrando miracula, quibus jam aliquam collocasti operam, labanti tandem opem ferre, tibi, tuis, patriæ, forsitan & orbi prodesse aliquando poteris. Artem disceres doceresque non Magistratibus tantùm sed Regibus ipsis & Imperatoribus leges præscribentem: Sapientissimos tandem quosque ab ore tuo pendentes, tuoque submissos arbitrio cerneres. Recorderis, mi Stoice* (sic quippe ob nescio quam ἀπάθειαν me compel-

lare ſolebat) *Mareſcottum noſtrum tria ſe ſacræ arti noſtræ debere profeſſum, quibus caruiſſet, ſi propoſitum a Parentibus ſacerdotium ſuſcepiſſet, ſanitatem athleticam ætatis anno LXXXII. Centum aureorum millia, atque intimam innumerorum Illuſtrium amicitiam.* His addebat rerum agendarum facilitatem familiari ſuo colloquio ſeu ſtudio comparandam. Me omnia ad ejus mentem facturum illico pollicitus, muſæoli ſtromata ita diſpoſui, vt præter Parentem nullus ſciuerit Iuſtiniano ſubſtitutum Hippocratem, Iuridicis Medicos. Riolanus, Perdulcis, Valleriola, Fernelius, Paræus, Hofmannus, Renodæus, Hollerius, Duretus, alijque mihi iam aliquo modo familiares, ſuſceptæ artis tyrocinium, viam præeunte Patre, docuerunt, donec in altiſſimum artis oceanum protruſus, Galenum & monitu Patris & proprio marte, nauiculæ gubernatorem ſtudiorumque ducem ſelegi, quem verum Naturæ genium eſse intelligebam. Dioſcoridem adjunxi, Celſum, Auicennam, cœteroſque medicinæ Principes, quorum diuerſitate fatigatum remitterem animum.

Ecce me tandem poſt examen IV. dierum ſingulari ἀκριβεία, dignitate Baccalaurei decoratum, & poſt duos deinde annos cum medio, vt ſolet, præcedentibus tum innumeris theoreticæ practicæque publicis & priuatis examinibus, tum bis mille nummorum ſolutione, Facultatis medicæ Pariſienſis Doctorem.

Circa hæc tempora, Pater arcani colloquij occaſionem nactus, quod plerumque noctu in ejus muſęo, dormiente familia inſtituebatur, in amplexus ruere,

gaudium ad lacrymas vſque teſtari, mihi ob tam gratã ſibi ſtudia gratias agere,omnia quæ ſua eſſent, polliceri. Fortunam ſemper contempſi, inquiebat, quam in ſolius tui amorem, ampliorem jam cupio: Ædibus porrò, villâ, bibliotheca, pecunijſque meis vt tuis vtere. Ad hæc me pro ipſo nihil adhuc præſtitiſſe reposui, abundè agnoſcere paterni affectus abundantiam; non ſoluiſſe me quod deberem, cæterùm in retinenda debita obſeruantia conſtantiam mihi nunquam defuturam. Ædes ſeparatas a ſuis tunc me habitare voluit, quas honeſtiſſima ſupellectile decorauit, ſuperaddita bibliotheca ſelectiſſimis libris conſpicua, ad rem præcipuè medicam atque politiorem litteraturam pertinentibus: Cui præterea & σκελέτους omnis generis, & inſtrumenta chirurgica, & abacum Europæis ac exoticis medicamentis refertum, & tabulas geographicas chronologicaſque, & illuſtrium virorum icones, & numiſmata adjunxit; adeoque vix quidquam excogitari potuit animo erudiendo, oblectando, aut inflammando aptum quod hîc defuerit.

Mirabatur ille atque ego magis, hominum frequentiam mea opera vtentium, facto a plebeis initio ad Magnates citiſſimè progreſſus ſum. Monacharum monaſterijs quibus opem medicam ferebam, vrbanorum negotiorum multitudo valedicere coëgit: Solo *incurabilium*, vt vocatur, xenodochio retento, quod vt inter totius orbis locupletiſſima celebratur, ſic rariſſimis ſuis morbis mihi & vtilitatem & honorem non contemnendum afferebat.

Mitioribus frequentioribusque morbis pro arbitrio medebar, grauioribus nil nisi consulto Patre præscribebam. Plus mille schedularum asseruo consilijs ejus plenarum, dubijs meis satisfacientium, quibus tutiùs quàm Delphici tripodis oraculo vtebar. Vnam hic referri non pigeat, cujus & alibi, meo quidem judicio, vsus esse potest. Medicam manum admoueram sartori quinquagennario, quem bilis succo melancholico affusa solertem, studiosum, tandemque poëtam effecerat. Is febre tertiana correptus, post quatuor aut quinque paroxysmos faustè sanatus est, exceptis quibus premebatur jugibus vigilijs. Verebar ne instante hyeme, Octobrem enim agebamus, tertianæ quartana succederet: Hæc omnia pro more Parenti scripsi, addito me hypnoticis frustra vsum, patientem esse impatientissimum, viribus vtcunque pollere, nullo modo febricitare aut dolere, soli vigilanti cerebro medicinam adhibendam, quam solita ἀναθυμιάσεις procurare nequiuerat, quare ad validiora confugiendum esse opinari me, atq; si ita ipsi probaretur, exhibendum Opij granulum, omissis quæ Diacodij Laudanique nomine circumferuntur; periculum enim esse in mora. Ad hæc ille: *O fili mi, quantum pugnas pro Opio! tantus videris illius esse patronus, vt nihil quod contra ipsum sit omiseris. Tradas ergo si lubet, sed memineris Opium serpentis similitudine bellè designari, abblandientem scilicet, mordentem deinde & necantem.* Schedulam ipsi ægro aperui, & toti periculi timore perfuso, consului vlteriùs expectaret, nec me in ea esse educatum schola, qua aliquot horarum quietem,

vitæ discrimine redimerem. Annuit ille & sapientis consilij pretium tulit; nocte quippe subsequenti pluribus horis dormiuit, seu venenati pharmaci formidine, seu digestis materiæ morbificæ reliquijs.

Priuata quadam præcepta hic scribere placet ab optimo Parente circa id tempus infusa, vt quæ summum suum in me testabantur amorem, sapientiæ quâ pollebat ac summæ artis intelligentiæ famam confirment. *Diuinum Hippocratem Galenumque ita tibi commendaui*, inquiebat, *vt ipsos cæteris artis nostræ Scriptoribus prælaturum te nullus dubitem: Nec repetere animus est quæ ille in* Iurejurando, *hic in* Exortatione ad bonas artes, *& passim ad morum philosophiam spectantia, juuenes Medicos docuit. Aliquot alia te monitum volo. Scias te non cum minori stultorum numero quàm sapientum rem habiturum; talis est mortalium ac præcipuè Medicorum conditio. Vix vllum experieris ægrotantem ex toto sanæ mentis: Alius sanari non vult, alius malè vult: Dubitant ferè omnes de Medici præstantia, cui tamen cognoscendæ pares non sunt: Frequenter decipiuntur, frequentiùs cupiunt decipi: Miracula sibi plerique fingunt in corporis constitutione, in* ἰδιοσυνκρασίᾳ, *in morbi specie, atque etiam in remediorum delectu: His occurres, si artem cum probitate, eruditione, & judicio exercueris. Quod vt feliciùs tibi succedat, spretis tot vanis quæstionibus, totque ad meram rerum disquisitionem pertinentibus, solis illis te tradas, quæ morbos quouis modo declarare poterunt: Cùm enim exinde vaticinium acquisiueris, προγνωστικὸν vocant, a sanandi facilitate non procul aberis. Botanicam laudo, physicæ partem curiosissimam, sed nollem te hanc supra modum excolere:*

Fac vt è Nilo, canis: Curiositatem omnem cohibeas, & soli insistas, quæ ad vsum reuocetur. Anatomiam medicinæ oculum esse non inficior, nec minoris eße vtilitatis quàm Theseo filum Ariadnes; Verùm nollem te ijs quas audio controuersijs nimis implicitum: Sint-ne ouaria in fæminis? Atram bilem recipiunt ne renes succinturiati, eamdem massæ sanguineæ commixturi? cerebellumne solas motiones continuas, cerebrum verò voluntarias dirigit? Diuersus est ne conglobatarum aut conglomeratarum glandularum vsus? Hæc puidem pulchra sunt, sed quæ totum hominem requirunt, eumque paulatim à veræ praxeωs studio abducerent. Laudetur Chymia quantum meretur, sed caueas hanc sapienti methodo præferre: Quot homines necauerit, quot paucos saluauerit, recordare. Hoc vnum addo, ne Empiricis solùm aut mulierculis obsistas, sed & sapientibus viris de arte quam non intelligunt judicare porro & decernere cupientibus. Sic continuò proderis, nusquam nociturus.

Medicis occupationibus immerso, mihi nouam adjecit Fortuna: Cùm enim Doctor Lopez Burdegalam ire de repente destinasset, pathologicæ suæ professioni, quæ scholæ primaria est, valedixit. Convocata subitò saluberrima Facultas, cujus est vnum è suis ad id muneris destinare, Electores quinque ex adstantium Medicorum numero pro more nuncupauit, quorum consensu tres proponerentur: Horum nominibus in vrnam immissis, Decani manu vnum extrahitur quod CAROLVM PATINVM exhibuit: Hac priùs declarata conditione, vt qui Professor renuntiaretur, statim doceret, nulla orationis inauguralis ob temporis angustias habita ratione. Sic ea ætate quâ fortasse nullus vnquam

Parisijs docuit, cathedram conscendi, & facti muliebris cadaueris copiâ primam illius anni anatomiam in publico scholarum theatro celebraui, dissectore P. Emmerez Chirurgo peritissimo. Quo successu hæc peracta sint, meum non est declarare: Quingenti medicinæ studiosi quos nunc tot doctores opinor, rei gestæ testimonium ferant: Ferant & chirurgiæ tyrones qui artis præcepta a me tunc certatim expetebant, quibus suffragante saluberrimæ Facultatis decreto, per aliquot subsequentes annos morem tuli, tumorum historiam aperiendo, vulnera, vlcera, luxationes, fracturasque sanandi modum tradendo, operaque magna chirurgica in cadaueribus exercitando. Cùm autem dissectiones explicarentur vernaculè, mirum quantus Aulicorum Matronarumque concursus ædes meas cohonestauerit: Increbuerat quippe rumor me singulas corporis actiones, singulasque ejus partes, data operâ explicare, vt nil esset quod pudicis auribus negotium facesseret.

Obseruationem medicam hîc inserere non abs re autumo, quæ naturæ vigilantiam, sagacitatem & sapientiam confirmat. Ioanni Le Blond, honestissimo mercatori medicinam a decennio faciebam, viro octuagenario, cœtera sano, si calculi symptomata exceperis. Is quamvis doloribus continuis vexaretur, nunquam tamen eò molestiæ deductus est, vt lecto detineretur, vel officinam intermitteret. Præcipuum ei negotium facessebat, quòd matulam centies in die quæreret, aliquidque vrinæ singulis vicibus profunderet, nisi spongia ijs in locis collocata matulæ officium subiret.

Fractis tandem viribus, ei suasi vt in lectulo se contineret, bono animo esse jussi, breui doloribus, morbo, senio, ac vitæ valedicendum. Alacriter dicentem excepit vir non omnino ἀφιλόσοφος, quanvis ἄμυσος, mirarique se affirmabat, non vt plures alios medicamentis obrutos necari, quem sola Sors perimeret; gauisus talem medicum nactum fuisse, quo cum quietè mori posset: Et quidem absque vllo dolore prouisam mortem occubuit; testamento condito, cujus me executorem vt summum scilicet amicum scripserat. Pro solito Ciuium nostrorum more dissectum fuit cadauer, in quo omnia naturaliter & salubriter constituta, exceptâ vesicâ, illiusque vretere deprehensa sunt. Hic intestinorum amplitudinem æquabat superabatque, a rene sinistro ad vesicam seri copia distentus, quod nondum vrinæ nomen mereri docent ἰατρῶν παῖδες. Vesica in tantum explicabatur quantum absque rupturæ periculo poterat, tota calculo rotundo & oblongo, læui & terete repleta, XIV. vncias pendente, per cujus anteriorem partem architectrix Natura canalem effecerat, omnem artificum industriam superantem. Cuilibet facile fuit animaduertere vrinam guttatim prodire solitam, quòd in vesica vix præter guttulas quidquam contineri potuerit, vreteremque ab imperante natura vesicæ munus obijsse, qui seri seu vrinæ esset receptaculum, sicque ad amplitudinem quadruplo solita majorem processisse, vnde continui dolores, neque tamen grauissimi.

Labores meos solabatur amplissimus Magnatum fauor, qui me & Medico & amico familiari vti digna-

bantur; cùm ecce ἀτυχία, veriùs διαβολὴ, & calumniam dixero, me precipitem egit, & κακῶν ἰλιάδα intulit. Timanthum imitari liceat, Benigne Lector, qui cùm mœstos pinxisset adstantes, & tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, ob Iphigeniam stantem ad aras perituram, patris vultum velauit quem satis mœstum pingere desperabat. Velum hic protendamus, seu dolore commoti ob fortunas perditas, seu charitate ob invidorum nequitiam.

Excedere patria consultius fuit quàm libertatis discrimen subire. Sensi tunc maximè cujus esset pretij ἀπάθεια illa stoica toties mihi exprobrata, quæ aut frangi animum aut imminui prohibebat, quæque vllam lacrymam effluere non passa est. In Belgium fœderatum ire destinaueram, frequens Litteratorum asylum, ad quem me invitare videbatur amicorum Belgarum multitudo. Rhotomagum, Diepam, tandemque Portum Gratiæ, eo consilio perveni. Conscensuro nauim Roterodamum properantem, nuntiatum est Ostendenses pyratas magno impetu hasce oras depopulari, nullis parcentes, prædam ex singulis conquirere; Gallos præterea in quos præcipuè essent animati, in Oceanum demergere. Hæc tanto terrore, pictoris quo famulo vtebar, animum percusserunt, vt se eò nauigaturum negaret. Quo factum est vt nutans inter ejus pusillanimitatem meamque constantiam, statuerim, cùm tanti momenti iter istud non esset, redire Parisios.

Hinc Heidelbergam ire decreui, quo me Serenifs. Elector benignissimè litteris aliquando compellauerat.

Cessit ad votum res, Principe maxima cum humanitate me excipiente, & solatium omnis generis exhibente: Nouum id non erit cui Germanicæ gentis comitas perspecta est. Dum ita tranquillam dego vitam, linguamque & mores Germanorum addisco, constitui tandem & vana hominum consilia irridere, sic mea interpretabor, & totum me philosophiæ medicinæque tradere. Solent equidem plerumque in hunc statum redacti vitam monasticam amplecti; sed quid facerem vxore comitatus, & alijs implicitus consilijs? In summa, de hoc nequidem cogitasse me vltrò profiteor.

Peregrinandi pruritus me invasit, vt Principum aulas Medicorumque arcana recondita propriùs cognoscerem, quorum ideo amicitiam studiosè aucupatum me esse non diffiteor. Tanta felicitate id successit, vt plerosque non ad benevolentiam modò, verùm & ad familiaritatem pertraxerim. Patiantur hic nominari quorum magnificentiæ solatij votorumque partem me debere magno animi cum fructu atque lætitia recordor. LEOPOLDVS Augustus, immensis suis largitionibus, immensis mihi collatis honoribus, inter illos primas sibi vindicare meritò solet. Serenis. Electores Bauarus, Saxo, Brandemburgicus & Palatinus, majestatem interdum deponere dignati sunt, quò familiariùs mecum colloquerentur, & in ipsis epulis aut venationibus pro more philosopharentur. Serenissimi fratres Duces Wirtembergici, Eberardus, Fridericus, & Vlricus, hominum optimi, tanta in me contulerunt merita, vt mihi etiam recolenti memoria pudorem reno-

uent. Badenſes Principes & præcipuè Durlacenſis lineæ caput Fridericus, ejuſque filius Fridericus Magnus, intima familiaritate & ingentibus officijs decorare me nunquam intermiſerunt. Quantam jacturam fecerim Ferd. Maximiliani Badenſis Principis morte, ſolus is intelliget qui ſciuerit quanto affectu me ſit complexus. Poſtridie quàm ipſi venationi intento valedixiſsem, Viennam properans, ſclopetum rhedæ motu violentiùs agitatum in ejus brachium globulos ſuos exploſit; illæſis planè Sereniſsimo Electoris Palatini filio alijſque Principibus eadem rheda vectis. Infelicem hac in parte Principem, cui etſi poſtulanti non aderat Chirurgus qui brachium maturè abſcinderet, ſuperveniens enim gangræna illum ad plures breui proficiſci coegit. Archiepiſcopum Salisburgenſem etiam memorabo, qui cùm meum humaniter excepiſſet ſalutationis obſequium, CAROLVM PATINVM &c. me eſſe pronuntiauit, ſibi valde notum, cujuſque effigiem mihi monſtrandam ex bibliotheca illico afferri juſſit. Quid de Sereniſs. magnæ Britanniæ Rege profeřam, cujus imperio reconditiſſima quæque κειμήλια ſtatim monſtrata ſunt. Gratè is meminerat ſe olim Pariſijs commorantem quædam de Eclipſibus Cometiſque libenter ex me vix adoleſcente audiuiſſe, variorumque de ijs quæſitorum reſponſum tuliſſe. Chriſtinæ Reginæ, Cardinalibuſque Franc. Barberino & Camillo de Maximis multum me debere profiteor, vt & Ser. Magnę Hetruriæ Duci, hujuſque patruo Leopoldo Cardinali Medicæo, Principique Franciſco, cui dignitatem Car-

dinalitiam & meritò quidem proximè destinari audio. Quæ sibi supererant ex Atestinis Principibus erudita, opulentaque signa, toreumata, & numismata, monstrari, meis schedis inseri, & Reipublicæ litterariæ communicari benignè permisit Serenifs. Alphonsus Mutinæ &c. Dux. Multa præterea Allobrogum Principibus, & Parmæ &c. Duci, quibus me in acceptorum beneficiorum compensationem quanto possum studio addico.

Sed ad Medicos progredior, quorum mores, doctrinam & praxim indagare animus erat. Scire maximè cupiebam quibus præcipuè artibus vterentur in conseruanda restituendaque miserorum mortalium valetudine: Adeo enim illos a Parisiensi methodo discrepare intellexeram, vt quomodo rectè officio fungi possent, scire summopere cuperem. Nihil difficile nihil asperum mihi fuit, suauissimam familiaritatem maximamque humanitatem, qualem Litteratos apprimè decet, vbique ferè experto. Cum Heidelbergensi archiatro ... Fausio medicinam feci, nullo nostrum ab altero dissentiente. Celeberrimi Gasp. Bauhini eruditionem, tum paterna necessitudine, tum propria conjunctissimi, nomenque veneror, è cujus penu cùm essem Basileæ, multa elicere licuit, vt & amplissimi Bern. Verzascha, felici medendi methodo clari. Nec reticendus est qui ibidem publicè docet Iac. Harderus, qui juuenis licet arte scriptisque medicis nomen non vulgare quæsiuit. Io. Georg. Volckamerum, patritium Norimbergensem medicum nobilissimum vnicè diligo, quòd ab ejus

consortio nunquam nisi doctior recesserim, quodque Parenti meo intimus fuerit amicus. Cui etiam adnumero Hermannum Conringium Helmstadiensem, *Phœnicem Germaniæ* vulgò nuncupatum. Illustre Bartholinorum nomen cuique medicinam amanti notum est, mihi verò gloriari liceat quod parentem & filium sæpè fuerim amplexus, & vtriusque in amicorum censu numerer. Lucas Schrockius Augustanus honorifica qualibet commendatione dignus, affinis sui doctissimi Io. Georg. Velschij, atque illius inter primores amicos meos numerati, famam egregiè tuetur. Melch. Sebizium & Io. Kupperum, Argentoratenses Medicos, maximæ olim famæ, quòd pro amicis habuerim, valdè mihi gratulor. Ille centesimo fermè ætatis anno, latinè, græcè, gallicè, italicè, & germanicè, me alloqui dignatus est: Hic vicinorum Principum ferè omnium erat archiater. Claritati paterni nominis egregiè respondet Io. Albertus Sebizius, cujus collegas cl. Marc. Mappum & Georg. Francum juxta regulas artis bene perpensas medicinam exercere mihi perspectum est. . . . Horstius, Sebast. Schefferus, & Io. Petrus Faber, Æsculapij nomen artis medendi peritia sunt adepti, hic Hailbrunæ, illi Francofurti, omnes mihi multis nominibus chari. Fato functum audiui celeberrimum Guernerum Rolfinckium, in academia Ienensi Professorem: Medicinam ille callebat ad vnguem, reconditiora ejus axiomata liberalissimè profundens, quæ tamen minori chymiæ vsui conjuncta esse voluissem: Parcant ejus Manes meæ huic opinioni. Archiater

Paulus de Sorbait, non Viennæ tantùm, ſed vbiq; terrarum exſtat clariſsimus: An id optimę medendi methodo debetur, an laborioſiſsimis ſcriptis? vtrumque arbitror. Hofmannus Altorfi, Amannus Lipſiæ, Sigalinus Comi, Seb. Iouius Lugani, Petrus Dapples Lauſannæ, ſuis præclaris in medendo dotibus Medicorum omnium amici eſse merentur.

Ad plures jam tranſijſse audio mihi olim amicos Nic. Tulpium, Io. Ant. Vander Linden, Theod. Kerchringium, Regnerum de Graef, & Franc. Siluium *delle Böe*, ſcriptis ſuis celeberrimos, & Medicorum quos docuerunt numero. Poſtremum hunc a Proceribus Belgis vt Hippocratem hujus ſæculi ſæpe cognominatum recordor.... Svvammerdam & Drelincurtius Gallus ob eandem medendi artem in Belgio ſingularem exiſtimationem ſunt conſequuti. Maxima cum animi ſuauitate recordor doctiſsimi viri Thomæ Poëllez (*pucelle*, *donzella*, ſeu virginis nomen ſonat) Chriſtianiſsimæ Reginæ Mariæ Thereſiæ ἀρχιάτρου qui è Salamanticenſi cathedra illius Principis Madrito Pariſios proficiſcentis a Cathol. Hiſpan. Rege præfectus fuit. Is mihi non rarò aſseruit cujuslibet regionis Medicos magna quidem arti incrementa addidiſse, verùm ſolos eſse a ſe obſeruatos Pariſienſes quibus tum ob puriſsimam medendi methodum, tum ob morum ſanctitatem, omnibus in rebus maximè fideret.

Perijt Londini Thomas ille Williſius recondita eruditione & ignota hactenus cerebri demonſtratione celebris. Tunc etiam malo meo fato perijt occaſio

virum cognoſcendi maximæ famæ Gualterum Charleton, brumali tempeſtate reditum in mitiores regiones vrgente.

Percelebres illos Medicos Lugdunenſes non poſſum non laudare . . Falconetum, & Car. Sponium, quibus nemo Parenti meo amicior, nec jucundior, nec charior fuit, vtrumque Medicorum doctiſſimorum parentem. Hujus autem filium cl. Iacobum, & ſuauiſſimorum ſtudiorum delectatio, & contracta in Germania Italiaque familiaritas, vltrò charum mihi commendant.

Mihi etiam apprimè innotuit Eques Terzago nominis claritate Mediolanum illuſtrans, Franciſcuſque Redi Magni Hetruriæ Ducis medicus politiſſimus. Et Marcellus ille Malpighius Bononienſis, fama & ſcriptis toti orbi notus, ejuſque amicus Siluester Bonfiliolus, in anatomicis verſatiſſimus. Florius Bernardus parenti meo olim amicus, in medendo acutiſsimus eſt, ideo multorum Venetorum Procerum valetudini præfectus. Familiariter præterea noui Marcum Brunium, Ant. Scarellium, & Iac. Grandium, Venetos medicos magni nominis. Aliquando etiam conſilia medica conferre licuit cum Excell. viris Aloiſio de Antonijs, Georgio Fontana, Hier. Copelazzi, Iac. Gonzato, medicis Vicentinis, egregia medendi methodo, famam a defuncto (quem etiam apprimè noueram) Bernardino Malacreda partam, optimo jure meritis.

Mentem præterea ſummè exhilarauit adepta cum eruditis viris neceſsitudo, qui quamvis Medici non ſint, mihi tamen fuere conjunctiſsimi. Io. Henr.

N

Bœclerum historiarum Professorem Argentoratensem, Io. Petr. Lambecium Hamburgensem, S. Cæs. M. historiographum & bibliothecarium, Io. Petr. Lotichium, Francofurtensem, . . . Bœsium historiarum Professorem Ienensem, Io. Christianum Keckium Durlacensem imprimis nomino, quòd citiùs cœteris viuere hi desierint: Horum porro recordationem Virtus & Fama a mortalitate vindicabit. Sebast. Feschium Basiliensem, I. V. Professorem, antiquitatis politiorumque litterarum cognitione, summaque mihi amicitia conjunctum hic etiam nominare gestio, vt & cll. Io. Rudol. Westeinios, patrem theologiæ, filium oratoriæ Professores dignissimos, quòd familiares habuerim. Nec Basilea dulcissimò mihi hospitio recedam, innominatis Iac. Rudino Rhetoricæ, . . . Hofmanno linguæ græcæ, Ioh. Iacobo Buxtorfio SS. linguæ Professoribus, R. P. litterariam suis scriptis continuò ditantibus. Vicinum Basileæ Tigurum plures etiam alit litteratissimos viros, mihi aliquando summa benevolentia conjunctos, Suitzerum, Ottium, Hottingerum, omnigena eruditione præstantes. Maximi habetur Iul. Richeltus matheseωs Professor in academia Argentoratensi, litteris elegantioribus ac præcipuè suæ artis obseruationibus insigniter conspicuus. Io. Christoph. Vagenseilium I.V. & linguarum orientalium Professorem Altorfinum, Ioannemque Gronouium, dignum patris incrementum, cui in historiarum professione Lugduni Batauorum succesit, inter intimos meos & necessarios habeo. Io. Iac. Kerscherum & Io. Lud. Praschium Ratisbo-

nenses Senatores, ob ingentem suam πολυμάθειαν Germaniæ famam egregiè sustinent. Tobias Hollanderus R. P. Schaphusianæ Proconsul, tum sua rerum antiquarum peritia, tum priuatis officijs in me humanissimè collatis, majus quam hic scribo meretur elogium. Ant. Magliabechium Ser. Magno Hetruriæ Duci a consilijs & bibliotheca, nullum opinor esse litteratum qui non nouerit, adeo beneficus omnibus audit, quodquidem & præsenti mihi cùm multoties iuissem Florentias, experiri contigit.

Suauissimum mihi fuit in Vrbe per aliquot menses degenti colloquium, cum Franc. Abbate Braccesio, Petroque Bellorio, viris seu mores seu eruditionem spectemus, verè Romanis: Ille Vrbano VIII. P. M. ab epistolis & secretis erat; hic plurimis Pontificibus rei antiquariæ interpres fuit, cujus insignem doctrinam testantur columnarum Trajanæ & Antoninianæ ab ipso editarum explicationes. Ezechielem Spanheimium Parisijs primùm, Heidelbergæ, & tandem Coloniæ admiratus sum, cùm minus encomium non debeam rarissimæ eruditionis viro. Frequens etiam mihi necessitudo fuit cum Io. Friderico ejus frate, tunc Heidelbergæ, nunc Lugduni-Batauorum Theologiæ Professore. Tacerem Archi-presbyterum Modoëciensem Petrum Paulum Busca, olim Ambrosianæ bibliothecæ custodem? Certè non debeo, seu libelli quem edidit DE SERPENTE ÆNEO, seu singularis doctrinæ, seu tandem benevolentiæ erga me maximæ non immemor.

Vt Pariſienſes nullos recenſui quorum ingentem numerum pro præceptoribus veneror, ſic è Patauinis nullum hic adſcribendum cenſeo, quamvis præter Profeſſores in hoc libello deſignatos, multos nouerim varia eruditione inſignes. Cæterùm non poſſum quin ab omni adulationis ſpecie vacuus duos nominem maximi nominis medicos. Io. Fortis & Hier. Vergerius ambo Patauini Profeſſores, acerrimi fuere in medendo judicij, quorum Manibus benè precari me jubet acceptorum beneficiorum recordatio, cum ex vtroque ἀξιώματα multa ad ciuilem prudentiam, Medicorum cautelas, & ægrotantium commoda didiſcerim.

Si vnuſquiſque ita inſtitutus pronuntiaretur qualem Amici effingere potuiſſent, juxta illud Socratis, *Dic cum quibus verſaris & tuos mores conijciam*, fauorabiliùs quàm deſidero judicium experturum me dubitare non licet, cùm tot tantoſque amicos coluerim & frequenter adlocutus fuerim, a quorum conſortio vix vnquam niſi aliquo auctus eruditionis aut ſapientiæ incremento diſceſſerim. Quod certè mihi maximum fuit vbicunque ſolatium, juxta illud Chryſoſtomi, οἱ φίλων εὐπορῦντες, ἐκ ἄν ἐν θλίψει γένοιντο.

Bello inter Gallos Germanoſque exorto, de alia ſtudiorum ſede ſeriò cogitandum duxi: Vix enim vnus excurrebat dies, quin vnius aut alterius gentis pagos incenſos è Baſilienſi muſæo perſpicerem. Italiam orbis hortum ἀγαθῶν μυρμηκίαν cæteris regionibus præferendam ſuadebat terræ bonitas, antiquitatis fama, litterarum gloria, gentiſque prudentia. Animum

addiderant Excell. Equitis Grimaldi, pacis belliquè artibus clarissimi, atque etiam Venetorum Magnatum, quos mihi sola ἀγαθὴ τύχη conciliauerat, litteræ, quibus ad suscipiendam in archi-Lyceo Patauino medicinæ professionem sollicitabar. Sufflaminabant è contrario litteræ aliæ morum diuersitatem memorantes. Vicit tamen quam primùm susceperam cogitatio; virtute superare quælibet aduersa forti animo recepi. Patauium cum vxore dilectissima Magdalena, Petri Hommetz medici Parisiensis eximij filia, superatis Alpibus accessi. Hic reticere nequeo vnius Patauini magnificentiam, Ioannis Comitis a Lazara, qui aduentantem me ædibus amplissimis excepit, pro quarum locatione etiam scriptis consignato tantæ liberalitatis testimonio, ne beneficij quidem gratiam quamcunque postulare visus est. Inter Venetos, Baptista Nanius, D. Marci Procurator, REIPVBLICÆ LVMEN cognominatus, mihi imprimis dum viueret patronus exstitit: Nunc ejus mihi locum explet Siluester Valerius, D. Marci Procurator & Academiæ Moderator, qui vna cum collegis cathedram Auicennæ interpretando destinatam cum annuo CCC ducatorum stipendio, MDCLXXVI. concessit, quod illico Senatus-Consulto confirmatum est.

Tribus abhinc annis mihi nouus honos accessit, equestris scilicet dignitas, ab Excell. Collegio perhonorificè collata, quam torque aureo publicè condecorauit Serenifs. Venetiarum Dux Aloysius Contarenus. Anno C. MDCLXXXI. dum in arte mea tum docen-

da tum ad vſum transferenda totus ſum, jamque præterita vitæ diſcrimina tranquillo animo ruminor, en bonis auibus duplex fauſtiſſimus nuntius eadem hebdomada ad me Patauium aduolat, cui ſi tertius acceſſiſſet, exclamare cum Philippo Macedone non intermiſiſſem, *O Dÿ, leuem calamitatem pro tot ſucceſsibus rependite*. Roma, Pariſijs, Vienna, Venetijſque conſtans rumor ad me delatus eſt, Regem Chriſtianiſsimum, LVDOVICVM verè MAGNVM, me in gratiam ex qua neſcio quo malo fato, eheu! quondam excideram, ſumma clementia recepiſſe. Id certè imprimis in votis habuiſſem, ni oppreſſus potiùs quàm fractus animus quidquam ſperare aut cupere non decreuiſſet. Hoc ipſo tempore vacantem primariam Chirurgiæ cathedram, duplicato ſtipendio, mihi honorificè deſtinauerunt Trium-Viri Academiæ Moderatores, Hier. Baſadonna, Io. Maurocenus, & Nic. Venier, quorum decretum illico ſua autoritate firmauit Excell. Senatus.

His accenſendum puto alium ejuſdem temporis nuncium, quamvis minoris momenti; cùm a Facultate Medica Ienenſi litteras acceperim, quibus mihi aliquo modo ſatisfactum eſſe ſignificabatur: Cùm enim ante paucos menſes apud hanc de quodam Io. Conr. Axtio conqueſtus eſſem, qui libello *de Arboribus coniferis* Ienæ impreſſo, MDCLXXX. Epiſtolam *de Antimonio* adjunxerat, in qua grauiſsimam Parentis mei famæ injuriam intuliſſe opinabar, qualemque nunquam perferre potuiſſem, Saluberrima Facultas illum παλινῳδίαν canere coëgit, quam ſupreſſa calumnia typis mandatam ad me

transmisit, his verbis: *Editioni Tractatus hujus de Arboribus, Benevole Lector, subjunxeram Epistolam de Antimonio, cui relationem de Illustrissimo Guidone Patino inserueram: Quia autem certò comperi illam falsam, & ab ipsius maleuolis sine dubio effictam esse, Epistolam rursus imprimi curaui, fabulam expunxi, & Manibus celeberrimi illius viri injuriam factam esse apertè profiteor.*

Vitam bonis malisque intertextam habes, Amice Lector; reticendane fuerit, an in lucem protrahenda, ipse judicabis. Sed essent prætereares innumeræ quibus hanc conturbatam confirmare possem, si omnia quæ mihi in vita contigerunt litteris consignare liceret. Perquam enim arduum est de se scribere! Præclariores aliorum dotes exponere juuat, quin & interdum, si defuerint, fingere: Hoc turpe cuilibet de se scribenti contingeret, cùm nequidem eas, si quæ sint, honestè cogitare liceat. Facta dictaue multa retuli, in quibus falsitatis accusari non metuo: Adulationis notam, vt decet, auersor. Duo porrò sunt in quibus excusari velim, si fortè in scribendo vel gratitudini meæ vel recordationis suauitati nimiùm indulserim. Scias denique me in hoc a Bruto dissentire, Virtutem esse Fortunæ ministram sentiente, cùm hanc juxta Epictetum, meretricem esse innata leuitate nec vnquam consultò cuiquam fauentem opiner, Virtutem verò matronam æternùm vnicèque colendam.

Filias duas instituo, Gabrielidem Carolam, & Carolam Catharinam, vtramque studijs deditam, pijs præcipuè, philosophicis, & historicis, quorum suavis-

ſima converſatione ceu gratiſsimis mentis illecebris, moleſtas animi ægritudines ſi quando contigerint, diſcutere ſoleo. Ipſis vt mihi, Quis ſcit quid ſerus veſper vehat: Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Hæc olim edidimus.

Itinerarium Comitis Briennæ: Pariſijs, 1662. in 8.
Familiæ Romanæ ex ant. numiſmatibus Pariſ. 1663. fol.
Traitté des tourbes combuſtibles: Paris, 1663. in 4.
Introduction a l'hiſtoire des medailles { Paris, 1665. / Amſterdam, 1667. } in 12.
Imperatorum Romanorum Numiſmata: Argentinæ, 1671. fol.
Theſaurus Numiſmatum: Amſtelodami, 1672. in 4.
Quatre relations hiſtoriques { Basle, 1673. / Lyon, 1674. } in 12.
Prattica delle medaglie: Venezia, 1673. in 12.
Suetonius illuſtratus: Baſileæ, 1675.
De numiſmate antiquo Auguſti & Platonis: Baſileæ, 1675. in 4.
Encomium moriæ Eraſmi, cum fig. Holbenianis; Baſil. 1676. in 12.
De optima Medicorum ſecta; Patavij, 1676. in 4.
De Febribus, Patavij, 1677. in 4.
De Auicenna, Patavij, 1678. in 4.
De Numiſmate ant. Horatij Coclitis; 1678. in 4.
De Scorbuto: Patavij, 1679. in 4.
Iudicium Paridis; Patavij, 1679. in 4.
Le pompoſe feſte di Vicenza: Padoua, 1680. in 4.
Natalitia Iovis: Patavij: 1681. in 4.
Quòd optimus Medicus debeat eſſe chirurgus: Patavij, 1681. in 4.

Ijs adiungi poteſt.

Lyceum Patauinum, Patavij, 1682.

D. IO. HIERON. TEXTORIVS, NICIENSIS. MON. BENEDICT. SS. SCRIPTVRÆ PROF.

IO. HIER. TEXTORIVS.



Vem oris probitate ſuadente, bonum virum facilè, magnum libenter dicas, IO. HIER. TEXTORIVS eſt, SS. litterarum interpres. Satin' hoc, an vt & animi imaginem pernoſcas, quædam de moribus hominis in medium proferam? Eſto. Honorati Leotardi Nicienſis Senatoris (nomini decus ineſt) puer hic liberalibus diſciplinis imbutus, alieno tamen invitus vixit ingenio. Nam vitæ genus ad quod inſtituebatur adeo eſt auerſatus, vt quum illum præcibus diu fatigaſſet (auunculus major erat, patriſque locum implebat) vix tandem a reluctante ſacris ſe initiandi permiſſum magis quàm conſenſum extorſerit. Aulis itaque virorum Principum, capeſſendæque Reipublicæ ſpei vale dicto, ad Benedictinam familiam, afflante Numine confugit. Adfuit votis Deus, nec defuit ipſe vel laboribus vel ingenio, quod amœniſſimum, omniumque capax elargita eſt natura. Totum quippe Aſcetarum clariſſimis magiſtris, orſus a Hieron. Bendando (jam ſcis quem virum) Rauennæ formandum ſe præbuit; ſcilicet jam tum parentibus viam fatis, qua veſtigijs ejus inſiſtens, ad Patauinum ſuggeſtum deduceretur. Hauſtis ergo, tanto viro propinante, quan-

tum per temporis ſpatia licuit, de eloquentiæ fonte laticibus, viſus eſt mentem ſpiritumque Inſtitutoris excepiſſe, quem diu ægrotus ille in os adſidentis alumni, ſupremaque oſcula reddentis efflauit. Caſini deinde, vbi gentis primordia adipiſcendæ theologiæ detentus, mirum qua felicitate abditiora penetrauerit arcana, auſpicante Angelo a Nuce loci Antiſtite, qui res Caſinenſes Longobardorum geſtis annexas accuratiſſimè digeſſit. Hinc benè tirocinijs poſitis, jamque ordinibus ducendis, rudibuſque in aciem inſtruendis par viſus, Patrum calculis Ferrariam mittitur, vbi philoſophiæ dogmata laudatiſſimè docuit. Poſtremò Venetiarum in illuſtri cœnobio theologiæ lector delectus, refertiſſimæ bibliothecæ quod enixè concupiuerat, volumina verſando, polymathiæ flumine ſe ingurgitauit, breuique ſic inclaruit, vt magnæ vrbis ingeniorumque vndique confluentium altricis, eruditionibus viris innotuerit. Patricijs præſertim, quorum fultura ſibi decus, cœtui ſuo autoritatem, bonis artibus pretium auxit. Quæ omnia moderatione & fortunę ſuæ temperamento ita rexit, vt extra invidiam, non extra gloriam eſſet. Statim igitur ab exceſſu Leonis Mattinæ, SS. Biblia exponentis, quum jam in animis votiſque omnium ſucceſſor eſſet, Procerum ſapientia, auctoritateque delectus, faſtigium iſtud litterarium perinde an. C. MDCLXXVII. ac Benedictinæ familiæ penſum aſcendit. Deus faxit vt quemadmodum Veneti cœli clementiæ aſſuetus, externos neque ſemel oblatos reſpuit honores, ita diu perfruatur adeptis.

Natus eſt, an. C. MDCXXIX.



NICOLAVS CALLIACHIVS, CRETENSIS, PRIM. PHILOSOPHIÆ EXTR. PROF.

NICOLAVS CALLIACHIVS.



ICOLAVS CALLIACHIVS Cretæ ex honestissimis parentibus, ortus ann. MDCXLV, immanissimis barbaris patriam vastantibus, vt bonorum jacturam animi diuitijs repararet, ad capiendum ingenij cultum, vno supra decimum ætatis anno, Romam profectus est. Ibi in Gregoriano ἑλληνομουσαίῳ ætatis cruditatem, indolis præstantiam, atque judicij maturitatem præuertens, græcis ac latinis litteris affatim imbutus est: Nouemque annorum curriculo Philosophiæ atque Theologiæ spatia feliciter emensus, in vtraque facultate lauream adeptus est. Veneti Patres Græciæ tunc temporis novas in Vrbe Athenas condi senatusconsulto indulserant. A summis proinde Musarum Triumviris, huius rei summam curantibus, Roma euocatus Venetias est, vt seminario Græcæ Iuuentuti instituendæ, Thomæ Hanginij Cyprij celeberrimi Iurisconsulti ære, inibi erigendo præesset, inque disciplinis & moribus ad Romani seminarij normam, Venetum illud quantum fieri posset, dirigeret. Suscepit provinciam CALLIACHIVS, atque eximiam de se Excellentissimorum Moderato-

rum ſpem, non impleuit modò ſed ſuperauit. Græcas quippe atque latinas litteras, atque philoſophiæ ad Ariſtotelis mentem decreta, per vndecim integros annos exponens, tantam diligentiæ, eruditionis, atque acuminis famam comparauit, vt non in priuatę amplius academiæ clauſtris & vmbra diſtinendus, ſed in hoc ſcientiarum omnium emporio, publicæ luci committendus videretur.


Cumque igitur Naturæ tunc conceſsiſset Io. Baptiſta Negronius, Corſus, egregius vir ingenio, boniſque omnibus diſciplinis ornatus, qui in hoc Archi-Lyceo, primaria in ſede, poſterioris Analyſeωs præcepta commentabatur, Excell. Moderatoribus commendantibus, ſummo Senatus conſenſu in ejus locum ſuffectus eſt, an. MDCLXXVII.

Deſcendit in hanc virtutis & gloriæ arenam CALLIACHIVS, & nec expectationem, licet maxima, minorem ſe, nec theatro, licet ampliſſimo, imparem omnibus exhibuit. Nam præter eam quam profitebatur ſapientiam, qua latinè qua græcè callebat, ità Philoſophiæ conjunxit eloquentiam atque multiplici eruditionis temperamento, ingenitam Dialecticæ auſteritatem condiuit, vt omnium & aures & animos ſibi patefecerit.

Quamobrem an. MDCLXXXI. Comite Petro Franzano, philoſopho in primis nobili, vita functo, Senatus decreto in ejus exedram, philoſophiæ ſcilicet extraordinariæ primam euectus eſt. Quo munere, adeo egregiè in præſentia fungitur, vt ſe majorum quorumcunque digniſſimum prodat.

GEMINIANVS MONTANARIVS, MVTIN. ASTRONOMIÆ PROF.

GEMINIANVS MONTANARIVS.



X honesta & vetusta ciuium Mutinensium familia, Mutinæ ortus est ann. MDCXXXIII. prima Iun. h. 8. P. M. circiter. Humaniorum litterarum, Philosophiæ, & Iurisprudentiæ studijs feliciter exactis, tandem viginti annos natus, Florentiam se contulit, vt nob. viri Iacobi Federighij, tunc primi nominis in ea vrbe I. C. consortio frueretur, & altiori sapientiæ jam maturum ingenium nobili exemplo formaret. Quod cùm illi supra votum obtigisset, ab Hetruria in Germaniam profectus, in Salisburgensi tandem Academia lauream in vtraque Iuris facultate obtinuit, pluribus ea occasione ab Eminentiss. illo Archiepiscopo ac postea Cardinali de Thun, fauoribus cumulatus.

Deinde Viennæ, Philosophiæ Magister, insignem mathematicum Cæsareum Paulum de Bono, Nob. Florentinum & Galilei celeberrimi alumnum audiuit, facilè a Peripato ad demonstratiuas scientias conversus, quibus puerili adhuc ætate, vrgente interiore Minerua, licet proprio Marte & horis tantum subcesiuis addictus fuerat. Neque audiuit tantùm, sed cum co-

dem, juſſu Cæſaris, Bohemicas, Hungaricas, Styriacaſque metallorum fodinas, an. MDCLVII. exeunte, inviſit & curioſiùs perluſtrauit.

Geſtiebat animo jam adeo fauiſſe Fortunam, vt toto ingenio mathematicis ſtudijs vacaret, cùm domeſticæ res illum in Italiam reuocarunt, atque iterum ad Iuriſprudentiam vel invitum compulere. Sed factus ad omnia animus dum Florentiæ Aduocatum cauſarumq; Patronum aliquot annis non inglorius ageret, interim à Sereniſſimis Medicæis Principibus etiam ad aſtronomicas obſeruationes aliaqua phyſico-mathematica non rarò adhibitus eò famæ prouectus eſt, vt non ſolum eorum ſibi benevolentiam mirum in modum conciliauerit; Sed & Alphonſo IV. Mutinæ Duci ſui deſiderium fecerit, qui MONTANARIVM in patriam reuocauit.

Tunc ille ratus hanc optimam eſſe occaſionem qua Bartolo valediceret, & ſacræ atque innoxiæ matheſi conſtanter in poſterum ſe deuoueret, ſapientiſſimi illius Principis aulæ, titulo *Ducalis* Philoſophi & Mathematici mancipari ſe facilè paſſus eſt; ſed pijſſimi ac de ſe optimè meriti Principis obitu iterum ſui juris factus, menſe Aug. MDCLXII. a nob. Viro Cornelio Maluaſia marchione, & ſub eodem Mutinenſi Duce Peditum imperatore (virtute & communi ſtudiorum genio animos conciliante) in intimam familiaritatem receptus eſt, ſimulque publico matheſeωs profitendum muneri in Bononienſi vniuerſitate deſtinatus, quam prouinciam an. MDCLXIV. ſuſcepit, & publicè ac

priuatim feliciter adminiſtrauit. Creuerat interim ejus fama & per populos ſparſa, Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ita MONTANARIVM commendauit, vt nouam Aſtronomiæ cathedram ex compoſito inſtituerit Patavij, ad quam illum vocauit juncta etiam Meteororum ſede, quæ tunc ob mortem celeberrimi Sertorij Vrſati Equitis Patauini vacabat, anno MDCLXXVIII.

In hac felicitate quæ illum jam inter rariora ſæculi ingenia enumerabat, præcipuos Europæ Principes latere non poterat, inter quos Allobrogis Ducibus, Celſiſſimæ ſcilicet heröinæ Mariæ Ioannæ Baptiſtæ Sabadiæ Duci, & Philiberto Principi ſic placuit, vt amoris & clementiæ non vulgaria argumenta & regiam planè liberalitatem in Taurinenſi aula fuerit expertus, & major quidem declaratus, quam vt plerique Mathematicorum illi compararentur.

Cæleſtibus obſeruationibus tum viuente Sereniſs. Mutinæ Duce ſuo, tum porrò vna cum Maluaſia, ac ſubinde ſemper ita addictus fuit, vt plures earum myriadas ſibi hactenus compararit, tametſi caro ſalutis pretio redemptas, quas theſauri loco habet, ſuo tempore publici juris cenſendas. Has inter verò, ea celebris fuit, quando anno MDCLXVII. duas ſecundi fulgoris ſtellas in Argonaui, Bayero B & V ſignatas penitus euanuiſſe, atque ne veſtigio quidem relicto deceſſiſſe è cælo comperit, & paucis poſt annis euulgauit, nouo ſcilicet & nondum antea obſeruato oſtenti genere; quippe nouas ſtellas identidem oriri atque

occidere ab Hyppareo vſque ſæpius ab Aſtronomis animadverſum eſt, ſed antiquas ſtellas omni æuo in catalogis deſcriptas tam ſubitis eſſe obnoxias mutationibus ante ipſum nemo adnotauerat, quod & pluribus alijs obſeruationibus circa alias ſtellas confirmauit, orbique latiùs communicabit ſuo tempore, in Opere quod molitur, cui titulus *L'inſtabilità del Firmamento.*

Ephemeridibus quas idem Maluaſia promulgauit calculandis corrigendiſque, tum obſeruationibus in earum calce additis interfuit, imò præfuit: Bononiæ verò Academiam phyſicam experimentalem, primò apud Abbatem Sampierium, deinde domi propriæ, ſub nomine Academiæ *Indagantium*, ſiue vulgo *l'Academia della Traccia* erexit, rexitque ab an. MDCLXV vſque ad diſceſſum, non ſine vbere confluentium vndique Nobilium, Litteratorumque fructu.

Aſtronomicum Gnomonem Vaſſæum dictum in ædibus Ill. Io. Ant. Vaſsè Petramelariæ, Senatoris præſtantiſſimi, magnum ſcilicet murale inſtrumentum exactiſſimum ad meridianas Solis, Planctarum, Stellarumque a vertice diſtantias explorandas Bononiæ erexit. Venetijs verò Obſeruatoriam Corrariam ſpeculam jam apud exteros quoque celebrem, conſimili Gnomone, alijſque compluribus tum muralibus tum etiam portatilibus inſtrumentis exactiſsimis & pleriſque de nouo inventis auctiſque refertam, ornatamq; extruxit apud ampliſs. Senatorem Venetum eumq; doctiſsimum Hieron. Corrarium, cujus ſpeculæ deſcriptionem, tractatui *de Cometis* inſertam exhibebit.

Ejus opera edita sunt:

1 *Cometes Bononiæ obseruatus ann. 1664. 1665. astronomico-physica dissertatio: in 4. Bononiæ.*
2 *Pensieri physico-mathematici sopra alcune esperienze, fatte in Bologna, intorno diuersi effetti de liquori in canuccie di vetro, & altri vasi, &c. in 4. Bolog.*
3 *Lettera all'Illustriss. & Reu. S. Abbate Sampieri, in risposta ad alcune obiezioni intorno a suoi pensieri fisico matematici, in 4. Bologna, 1667.*
4 *Speculazioni fisiche sopra gl'effetti di quei Vetri temprati, che rotti in vna parte si risoluono tutti in poluere, esposti in vna lettera ad Ser. Gran Duca Ferdinando II. &c. in 4. Bologna, 1671.*
5 *Discorso academico sopra la sparizione d'alcune stelle & altre nouità scoperte nel cielo, insertofra le Prose de SS. Academici Gelati; del Dottor Gem. Montanari, l'Eleuato Academico. in 4. Bologna, 1672.*
6 *La Liuella Diottrica: nuoua inventione per liuellare col canocchiale, con maggior essatezza d'ogn'altra Liuella, aggiuntoui il modo di misurar le distanze inaccessibili con vna sola statione, &c. in 4. Bologna, 1674.*
7 *La Fiamma volante: Gran meteora veduta sopra l'Italia, la sera de 31. Marzo, 1676. speculazioni fisico-astronomiche, ed il modo di trouarne la paralasse e distanza da terra. in 4. Bologna, 1676.*
8 *Lezione academica hauuta in Torino nell'academia di S. A. R. li 5. Marzo, 1678. sopra le controuersie letterarie passate con quel Matematico; aggiontoui gli auisi publicati da quello, e considerazioni dell'Autore, &c. in 4. Bologna, 1678.*
9 *La Tromba parlante: Discorso academico, sopra gl'effetti delle Trombe da parlar di lontano, con altre considerazioni sopra la natura del suono, e dell'Eco, &c. in 4. in Guastalla, 1678.*
10 *Manualetto de Bombisti, ouero ristretto delle auuertenze piu necessarie per ben maneggiare i mortari, &c. in 8. Venezia, 1680.*

Alia ejusdem Opera nondum edita.

1 *L'Ingegniero ciuile, diuiso in dieci libri, ne quali si contiene tutto cio che dalle scienze matematiche ha bisogno di sapere vn publico Perito per gli vsi ciuili.*
2 *L'ingegniero militare, diuiso in sei libri, ne quali la fabrica, offesa & diffesa delle fortezze, il maneggio dell'artiglierie, de'mortari, e de fuochi artificiati breue e chiaramente s'insegnano.*
3 *L'ingegniero d'acque, nel quale la scienza della misura dell'acque correnti, vien promossa, coretta, & dilucidata per la prattica. La natura de Fiumi,*

l'arte di ripararli, dirigerli, vien con nuoue dottrine & esperienze stabilita & dichiarata.

4 *La natura, peso, & equilibrio de' corpi fluidi, trattato fisico-matematico.*

5 *De vsu reticulæ in Telescopio ad cælestia & ad terrestria, adhibendæ, tractatus astronomico-geometricus.*

6 *La caccia del Frugnuolo, ouero l'Astrologia giudiciaria con nuoue dottrine confutata; & con nuoue esperienze delusa & derisa.*

7 *L'essame delle Comete nel quale oltre l'istoria & osseruationi delle due Comete apparse del 1680 e 1681, si discore fisico-astronomicamente in cinque dialoghi.*

1 *Della reale o apparente esistenza delle Comete.*
2 *Delle paralasse, o nuouo modo dell'Autore d'osseruarla essente da refrazioni.*
3 *Della linea del moto della Cometa, o sia sua trajezione nel cielo.*
4 *Se le Comete siano corpi temporanei; o coetanei al mondo.*
5 *Delle conseguenze che dal moto delle Comete altri volesse dedurre per lo sistema del mondo.*

8 *Trattato delle vere cagioni del crescere di valore le monete, danni publichi, e priuati che ne prouengono, e modo di sfuggirli.*

9 *Contemplazioni Diottriche, opera geometrica, nella quale da suoi principij si dimostrano tutti gl'effetti del Telescopio e del Microscopio.*

10 *Meteorologia physico-astronomica: Exercitationes in IV. libros meteor. Aristotelis.*

11 *L'instabilità del firmamento; Osseruazioni astronomiche &c.*





OCTAVIVS SAVIOLVS, PAT. PRACT. EXTRAORD. PROF.

OCTAVIVS SAVIOLVS.




CTAVIVS SAVIOLVS Patauinus natus est an. C. MDCLIII. XVIII. Sept. patre Petro, vt ingeniosissimo sic accuratissimo census publici æstimatore. Primam ætatem feliciter in humanioribus litteris exercuit; mox Philosophiæ studijs addictus, optimi ingenij laudem meritus est, quippe qui intra exigua temporis spatia, Theses de vniuersa rerum naturalium scientia bis publicè propugnauit, nullo in arenam ducente magistro; Cujus deinde laurea donatus est, an. MDCLXV.

Rei medicæ postea sese applicuit, cuius etiam Doctor subsequente anno renuntiatus est. Acrioribus eius theorematibus atque etiam ænigmatibus totum se tradens, nihil quod ad eius intelligentiam faceret, neglexisse videtur: Accuratam corporis humani, quin etiam brutorum anatomen, plantarum vires, chirurgiæ miracula, chymiæ, pharmaciæque recondita præcepta tanta familiaritate sibi adsciuit, vt ab iis penes quos ius est Patauinis cathedris Professores concedere, vnanimi consensu, tertio medicinæ Practicæ Extraordinariæ docendæ loco vacanti suffectus sit, an. MDCLXXVIII.

in quo maximam ſanè gloriam & quantam quiſque ſuæ ætatis modeſtè ſperare poteſt, eſt aſſequutus.

Nec in tradendis tantùm præceptis ſui nominis famam extendit, verùm & ſaluberrimis artis operibus, quibus erga diuites induſtriam, erga pauperes charitatem, erga vtroſque diligentiam ſuam tam altè commendatam probauit, vt vix vllus ſit opem eius poſtulans, qui ipſi tanquam Philoſopho verè Chriſtiano meritas gratias non rependat, adeo omnes in eius amorem compelli & veluti rapi coguntur. Hæ ſunt artes feliciſsimæ, optimis aliquando Medicis deficientes, quorum ideo gloria vna cum eorum cadaueribus ſepulta eſt.

Diligenti librorum antiquorum indagationi, recentiorum Medicorum opiniones, interdum & ſomnia adiungit; quę omnia ſapienter ab ipſo inueſtigata, tanta cum facundia in publicum producuntur, vt ab eius ore pendentes ſtudioſorum, omniſque generis Auditorum mentes, nulla nouitate offenſę, nullo errore indignatę, iuuenis huius Profeſſoris gloriam ampliare paratę ſint: Hinc eſt vt eius familię, Academię, vrbique Antenoreę decus ampliſsimum ab eo profuturum lętus omnes.



D. VITALIS TERRA RVBEA, PARMENSIS, PRIOR BENEDICT. PHILOS. PROF.

M. Desbois Gallus ad vivum fecit

VITALIS TERRA RVBEA.



PArma Galliæ Cisalpinæ vrbs celebris viris cùm litteris tum armis præclarissimis nunquam non claruit: Quare illam eximijs laudibus Iul. Cæs. Scaliger tam disertè deprædicat.

Inventum medijs præclarum nomen in armis
Prædita quo sit gens ignea, Marte docet.
Ingenium rapidum facili flammatur ab ira,
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo pretium est non displicuisse pudori
Hoc satis, officijs cedere turpe putat.

In hac vrbe A. C. MDCXXIII. D. VITALIS TERRA RVBEA ingenuis parentibus natus est. Cùm a primis annis animum humanioribus litteris informasset, sæcularis vitæ syrtes sapienter declinans, ad Cassinensium ordinem adhuc adolescens se recepit, apud quem ær. XXI. philosophiam consodalibus prælegit, & paulo post SS. Theologiæ Doctor renuntiatus est.

Hinc majus in dies incrementum tanti viri capiente fama, eum præcipua sui cœtus cœnobia vt scientias monachos doceret, efflictim optarunt. Præter Parmam, Placentia, Florentiæ, Venetiæ, vbi tam præclara sui specimina dedit, illum etiamnum absentem celebrare non cessant.

Ipse cùm in nullius magistri verba jurauerit, præcipuos è priscis philosophis diligentissimè consuluit, de singulis eorum sententijs non tanquam honorarius arbiter, sed & peritissimus judex dijudicans. Aristotelem præ cœteris scrutatus, theorematis pluribus disceptationi publicæ expositis, in tenebris palpatum coram purpuratis Patribus & Principibus experientia sæpiùs patefecit; tanto equidem plausu, vt eum summum philosophum omnes acclamauerint.

Multis ejusmodi præclaris rebus gestis, oblatam a Bononiensis Academiæ Curatoribus philosophiæ cathedram suscepit, quam per annos XIIX. moderatus est: Illam enim non rudem & spinosam nudamque, vt dicunt, non docebat, sed theologiæ, juris, medicinæ, matheseωsque axiomatibus illustratam, tanta doctrinæ varietate ornatam, tantoque argumentorum robore confirmatam, vt voluptatem simul ac vtilitatem profundens, omnibus placeret, pluribus non infimæ notæ Professoribus acres ejus disceptationes non parùm timentibus.

Porrò cum Emin. Cardinalis Rinaldus Estensis, nepoti Rinaldo Francisci Mutinæ Ducis filio, præceptorem omni ex parte doctissimum quæreret, non alium quàm D. VITALEM sibi ob oculos posuit, quem omni officio magnisque precibus a Bononiense Senatu efflagitauit. D. VITALIS discessum honorificis testimonijs Bononienses sunt prosecuti, quorum vnum ad perennem tanti viri gloriam in publica academia marmori incisum est:

D. O. M.

VITALI TERRAE RVBEAE
PATRICIO PARMENSI,
S. THEOL. DOCTORI, IN PATRIA COLLEG.
INTER CASSINATES PRIORI,
FELSINEAE INQVISIT. CONSVLTORI,
CVI ANNIS V SVPRA XX.
PARMA, PLACENTIA, FLORENTIA, VENETIAE,
PRIVATIM APVD MONACHOS THEOL.
BONONIA PVBLICE PHILOS. DOCENTI,
MVNDVS LITERARIVS
DEMOCRITI ET ARISTOTELIS
CONCORDIAM
PRIMVM IN HOC ATHENAEO PVBLICANTI,
IN D. PROCVLI COENOBIO PROPVGNANTI,
DEBENT ET LAVDANT
VTRAQVE VNIVERSITAS INDEFESSO, BENEMERITO,
ET ADHVC BENEMERENTI LECTORI
HVNC LAPIDEM CANDIDVM
IN OBSEQVII CANDIDIORIS ARGVM, P. ANNO 1667.
ANNVENTE ILLVSTRISSIMO ARTISTARVM PRIORE,
D. LAVRENTIO BAZZANO, VINEOLENSE.

Et quamuis hujuſcemodi honores illi tantùm aſſequi poſsint, qui per viginti annorum ſpatium, è gymnaſij ſuggeſtu docuerint, nihilominus tamen tanti Bononienſibus erat TERRA RVBEA, vt necdum illo exacto tempore omnium calculis illi decreti fuerint. Ejus quoque cathedram, poſtquam profectus fuit, nemo deinceps (quod paucis exteris euenire conſtat) con-

ſcendit, relicto illi perpetuo jure eam, quotieſcunque libuerit, obtinendi, in publicis etiam academiæ faſtis annotato, *Abſens cum reſeruatione lecturæ*.


Mutinam itaque perrexit, vbi mirum illius Principis ſuæ diſciplinæ traditi ingenium tam ſedulò excoluit, vt eum in vtraque philoſophia naturali & morali perìtiſsimum breui reddiderit, qui in doctrinæ acceptæ redhoſtimentum, præceptorem ingenti gratiarum numero cumulauit. Hoc quinque poſt annis exacto munere, Cardinalis Franciſcus Barberinus eum ſibi Theologum adlegere exoptans, a Mutinæ Principibus petijt: Ita cùm diſciplinæ, qua Principem Rinaldum erudierat, colophonem impoſuiſſet, Romam in illius Purpurati obſequium conceſsit.

Ibi non diu ſtetit quin Patauium à Venetis magnatibus euocaretur ordinariam philoſophiæ cathedram offerentibus: Bononienſes quidem diuturnam ejus abſentiam non exiguum eſſe ſui collegij detrimentum gnari, vt priſtinum docendi locum quem honoris cauſa nemini conceſſerant, an. MDCLXXXI. humaniſsimis litteris invitarunt: Ipſe autem ne ſuum in Ser. R. P. Venetam obſequium læderet, ſumma modeſtia recuſauit.

Mirabitur nemo tot dotibus ornatum ſummorum Principum gratia valuiſſe, inter quos præcipuè deſignandus venit Alexander II. Picus Mirandulæ Dux, doctrina non minus quàm natalibus orbi toti clarus, cui continuò percharus fuit D. VITALIS TERRA RVBEA.

Opera multa meditatur, Concordiam philoſophicam, Hiſtoriam ſacram antiquam, aliaque theologica & philologica maximæ expectationis.

R. P. M. NICOLAVS ARNV, LOTH. ORD. PRÆD. METAPH. PROF.



NICOLAVS ARNV.



Vic patria Lotharingia, prouincia ducali titulo multis retro sæculis, generosissimaque Ducum illius familia, atque soli fertilitate clara. Meraucourt oppidum Virduno sex milliaribus dissitum natalia dedit an. MDCXXIX. die 11. Sept. Parentes habuit honestos & pios, quorum cura litterarum amor ipsi insitus est, tantusque vt ab ijs nunquam vacauerit. Nouennis vtroque parente orbatus, Virdunum deductus est, & auunculi tutelæ commissus, qui eum Patribus S. I. informandum tradidit. Verùm Tutore austerè nimis & parùm humaniter agente, è patria aufugere constituit, Parisiosque se contulit: Ast ibi nullam studia perficiendi opportunitatem nactus, post aliquot menses de discessu cogitauit; oblatamque sibi ab Equite Gotholano in comitatum Ruscinonensem proficiscendi occasionem arripiens, MDCXLIII. Perpinianum, nobile fortalitium nuper a Gallis occupatum, peruenit; Vbi Rhetoricæ Philosophiæque apud Patres Soc. Iesu, per aliquot menses operam dedit.

Ætatis annum agens decimum sextum, scilicet ann. C. MDCXLIV. ordinem Prædicatorum ingressus est, & sequenti post, solitam probationis periodum professus, philosophicis studijs, postea verò theologicis, in mo-

nasterio Gerundensi & Podiceritanensi totus incubuit. Quibus egregiè peractis, annos natus XXIII. philosophiam primùm in ciuitate Vrgellensi, dein in vniuersitate Tarraconensi, & generali studio Perpinianensi, per septennium publicè docuit; a quo Theologiæ cathedram vespertinam & primariam per decem annos Perpiniani moderatus est. Rector deinde inibi creatus est, anno MDCLXIII. In Cathedrali Ecclesia, & in collegiata B. Mariæ de Regali, ejusdem vrbis, per octo quadragesimas continuas, ad populum vulgari illius nationis idiomate conciones habuit, quibus quidem maxima sibi virtutis eruditionisque decora peperit.


Romam tandem accitus est, an. MDCLXXIV. ab ejusdem Ordinis Magistro Generali Io: Thoma de Rocaberti, nunc Archiepiscopo Valentino, qui ipsum in celeberrimo S. Thomę de Vrbe collegio *Regentem*, vt vocant, constituit; quo in officio per tres annos omnium consensu & beneficio permansit. Denique ejus nominis fama latè per Italiam vt alias politiores Europę partes sparsa, Excell. Patauini Lycei Moderatores excitauit, qui tantum virum sibi allicerent: Vacanti Metaphysicę cathedræ, in via S. Thomę, ob volontariam R. P. M. Seraphini Piccinardi abdicationem, NICOLAVM ARNV destinauerunt, an. MDCLXXIX. Is Roma Pataujum conuolans officium impigrè suscepit, quod etiamnum magno Auditorum concursu exercet.

Opera ab eo edita.

Philosophiæ cursus in 4. tomos distributus, in XVI. *Biterris, 1672.*

Lucidissima commentaria in XIII. priores quæstiones primæ partis summæ Theologicæ D. Thomæ, in 12. Tom. 2.

GEORGIVS CALAFATTI, CYDON, THEOR. EXTRAORD. PROF.



GEORGIVS CALAFATTI.



STupendas Fortunæ vices miratur plebs, rident fortiterque ſuſtinent Sapientes: Hi quippe ſolam colentes Virtutem, miniſtram ejus non ſatagunt, quam globo procellis agitato innixam repręſentauere erudita ſæcula. Ad hanc porro confugiunt qui heræ lepores formamque aut non capiunt aut aſſequi non poſſunt, vt procis Penelopes accidit ad ejus ancillas converſis. Rerum viciſſitudo talis eſt, vt ſæpè Magnatum auus aut paſtor fuit aut aliud quod dicere non expedit. Multi ſunt ab oppoſito, è throno ducentes originem, quibus Fortuna valedixiſſe videtur.

Si Fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

Vtramque ſuſtinuerunt Fortunam Eugenius è ludimagiſtro Imperator Auguſtus renuntiatus, Dionyſiuſque è regio Siculorum ſolio ad Corinthiacam palæſtram confugiens, id maximè a philoſophia addidiciſſe profeſſus, vt æquo animo talem Fortunæ mutabilitatem ferret. Quid hæc impia fecerit in CALAFATTORVM familia expendamus.

Michaëlem Calaphatem Byzantij imperasse certum est, an. C. MXLI. Zoës artibus tandem excæcatum & exilio pulsum. Perstitit tamen Constantinopoli ejus familia, donec a Mahomete II. hæc Orientis metropolis expugnata fuerit, MCCCCLII. Tunc enim partim in Eubœam, vulgò *Negroponte*, partim in Cretam aufugerunt, quæ hodie *Candia* nuncupatur.

Insula hæc est centum olim vrbibus Iouisque cunabulis inclyta, ad quam recipientes se ab excidio Constantinopolitano plerique nobiles, a Seren. Republica Veneta veluti adoptati fuere & inter regni Cretici primates accepti, vnde nobilium Creticorum agnomen adepti. Vt enim aliqua est superioris ordinis nobilitas quam Colonorum vocant, eorum scilicet qui Veneti nobiles coloniam habitauerunt, sic inferior altera est, cujus compotes in sola ciuitate patria nobiles censentur; ita è Candia, Candiani; e Rhetimo, Rhetimenses; è Canea Caneenses, nobiles dicti sunt.


Inter nobiles illos Cretenses adscripta Calafatta familia, multos produxit bello paceque clarissimos. Eminuit inter cœteros Ioannes, qui sæuientibus annis Venetos inter & Genuenses, triremem domesticis sumptibus armauit, Prioratusque insignia reportauit, ann. MCCXXV. Non minori patriæ amore flagrasse Danielem, ex hoc vno constat, quod instructam ære proprio triremem ad Cypri liberationem deduxerit, Victoriæ conciliatricem. Horum generositati quidquam detrahere videretur eorumdem incolumitas, dum Turcis feliciter victis fugatisve ad Lares abierunt. Emanuelem

GEORGII auum manebat hic honos, sanguinem & vitam pro Ser. Republica reponere. An. MDCXLVI. Cydoniam inopinato quatiente Cusseimo Vizirio, arcisque deditionem premente, Emanuel pro aris & focis pugnans, caput hostili subjecit acinaci, quod pro Magnatum more sublimi in hasta erectum, barbari superbè exposuerunt, ne fortè Martium deesset Virtuti capitolium. Degener non fuit Stephanus Emanuelis filius, qui pro eximio fidei bellicorumque terra marique facinorum præmio, honores insignes diplomatibus confirmatos reportauit. Iacobus GEORGII patruus qui per XXVI annos tum inter Turcas versatus, est tum etiam Candiæ cum ipsis Venetis, multiplicia suę fidei testimonia, erga Ser. Principem edidit; stratagemate etiam Io: Capello Pretori, Comitique Finarolo armorum ductori, aperto, quo Cydoniam a barbaris oppressam liberare tentauerat, cujus euentum nescio quis κακοδαίμων preuerterit.

Eminent in archi-gymnasij Patauini parietibus septem Rectorum monumenta, è gente Paleocappa, a qua GEORGIVS maternum genus ducit, qui non minùs glorię quàm studiorum auidi hęc posteris consignauere.

Ab inclytis hisce familijs ortus est GEORGIVS, ann. MDCLII. qui Minerue oleam hastę pręferens, studiaque bellicis tumultibus, philosophię & medicinę operam dedit, & eò pervenit vt tandem publicè doceret; Ab Excell. Academię III viris Theoreticę extraordinarię Professor diebus vacantibus electus est, ann. MDCLXXIX. non sine spe superiores cathedras obtinendi.

SERAPHINVS PICCINARDVS.


ERAPHINVS PICCINARDI natus eſt menſe Iunio, an. MDCXXXIV. Brixia Galliæ Tranſ-Padanæ vrbs conſpicua ejus natale ſolum fuit,

Quæ pingues ſcatebras ſpecula deſpectat ab alta
Poſtulat imperij Brixia magna vices.
Iul. Cæſ. Scal. *Cælum hilarum, frons læta vrbi, gens neſcia fraudis,*
Atque modum ignorat diuitis vber agri.

Parentes PICCINARDO fuerunt genere perantiquo & agnomine in alijs vrbibus nobili, a quibus vt familiæ honeſtatem decebat, liberaliter pièque educatus eſt. Adoleſcens vberem rerum antiquitatiſque cognitionem ſibi comparandam duxit, è re ſui propoſiti putans ſi è ſelectioribus autoribus neminem inſalutatum omitteret, ex puris eorum fontibus reconditioris eruditionis lymphas quibus ingenium ſuum, vt hortum irrigaret, perabundanter hauriens. Is porro dulce vitæ venenum, latentes mundi dolos ſubodoratus, vt ejus fallacia effugeret retia, continuaque diſcrimina, ei ſe ſubripere decreuit, & ſacro D. Dominici ordini nomen dedit.

R. P. M. SERAFINVS PICCINARDVS, BRIXIENSIS, ORD. PRÆDIC. P. SS. THEOLOGIÆ PROF.

Bononiam missus eximijs Professoribus informandus traditus, eò doctrinæ processit, vt absque eorum auxilio, philosophico-Thomistica theoremata coram Cardinale Lomellino Bononiæ legato, magno cum plausu propugnarit, auditoribus cunctis clamantibus, *Manibus date lilia plenis*.

Exiguo dein temporis interjectu, adstante Card. Hier. Farnesio, Lomellino suffecto, theologicam D. Thomæ summam publicæ disceptationi absque vllo præside exposuit, quod meritò suscipiens Cardinalis, *Profectò* inquit, *alter P. MONSTRVM* (nimirum P. Nicol. Riccardius Sacri Palatij magister ob stupendam scientiæ immensitatem sic dictus) *hic mihi esse videtur*. Nec a vero ablusit, par etenim ne dicam major illi inerat intelligendi facilitas atque expedita celeritas. His perspectis, honoris causa nullo præuio examine Artium Professoris laurea insignitus est; & Brixiam reuertitur, vbi philosophiam summa cum laude docuit, atque postea Bononiæ tribus annis cum primaria docendi dignitate. Veronæ quoque, Genuæ, ac Mediolani primas Theologiæ cathedras eximio successu est moderatus, & in tribus istis vrbibus, Sancti, quod vocant, officij a consilijs fuit. Anno MDCLXVI a supremo Ordinis Rectore, promeritis SS. Theologiæ magistri insignibus est cohonestatus, & Magistris prouinciæ vtriusque Lombardiæ, conscriptis accensus.

Non vulgari nominis existimatione conciliata, a Venetis Proceribus Patauium ad Metaphysicam in celeberrimo vrbis archi Lyceo vocatus est, an. MDCLXIX.

exemplo Isidori Piccinardi Cremonensis, qui anno MDLIX. ibidem moralem philosophiam docuerat. Hanc nactus spartam, eam totis viribus ornauit, tanta Auditorum frequentia, vt fama in æuum perennatura, aditum sibi patefecerit; Viam monstrantibus facili latialis linguæ eloquentia, historiç, antiquitatisq; peritia.

Is in eo est admirandus memoris animi sensus, vt falsa plerosque opinio invaserit, PICCINARDVM arcanis medicaminibus illum sibi comparasse. Ejus siquidem tanta est memoriæ præstantia, vt res quaslibet sibi semel cognitas tanquam in cella penuaria distinctissimè asseruit, pro lubito exponendas.

Supremam Theologiæ Bononiensem cathedram a P. Io. Thoma de Rocaberti, Ordinis Prædicatorum moderatore (qui nunc Valentiæ in Hispania est Archiepiscopus & Pro-Rex) sponte oblatam, ne propensioni qua in Patauinum Lyceum ferebatur, fraudi esset, modestè recusauit. Nec absimili modo cùm Romam per repetitas sæpiùs litteras ab eodem Generali, ad sublimiores gradus inuitaretur, idem se gessit.

Id tamen quod ab eo tot dignioribus vtraque delatis honoribus suæ familiæ Primas impetrare non potuit, imbecillis valetudo extorsit, quæ tum publicis lectionibus tum priuatis studijs, magno eruditorum virorum mœrore, PICCINARDVM subduxit. Ad patrios Lares Brixiam reuersus, quò restituendæ sanitati nihil omitteret, de suauissimo Musarum suarum consortio aliquantulum remittere coactus fuit, sic hortantibus Medicis, mali labem probè cognoscentibus.

His alijſque artibus priſtinæ tandem ſaluti reſtitutus eſt, cui cùm per tres annos firmandæ allaboraſſet (Archangelo Riuetta Caſalenſi, viro ex eodem Prædicatorum ordine doctiſſimo, qui per duodeviginti annorum curriculum primarij Theologi in via D. Thomæ partes egregiè ſuſtinuerat, è viuis erepto) ab Academiæ Moderatoribus ſpontè illum invitantibus, Patauium anno MDCLXXXI. denuò euocatur. Qualis eſſet, inaugurali ſua oratione manifeſtum fecit, cunctis mirantibus hominis doctrinam, eloquentiam, facilitatem. Athenas viroſque qui in ea ſcientiarum officina floruerunt, Patauio doctiſque qui in hoc celeberrimo diſciplinarum emporio exſtitère ingenioſiſſimè comparauit, nobiliſſimamque academiam, tot heroum alumnam, Græciæ ocellum, varijs caſibus extorrem Patavij ſedem ſuam fixiſſe oſtendit.

Cùm verò cathedram conſcendendam, pro more, ſibi duxit, non vnam D. Thomæ Theologiam explicandam ſuſcepit, ſed hoc anno Hebrçorum, Græcorum, Sibyllarum, Gentilium, & Orthodoxorum, præceptis exempliſque innumeris ex opulentiſſima priſcæ hiſtoriç penu confirmatam, quibus tanquam è fimbria lectionum ejus vtilitas perpendatur.

Opera ab ipſo edita ſunt.

Proluſiones & Orationes variæ.
Philoſophiæ dogmaticæ tomus primus & ſecundus.

Opera edenda.

De approbatione doctrinæ, D. Thomæ Aquinatis, libri ſeptem.
Philoſophiæ dogmaticæ tomus vltimus.
Opuſcula theologica ſelecta.
Metaphyſica in Patauino archi-gymnaſio jam prælecta.

IOSEPHVS CARLOTTVS.



N antiquissimo Corsicę atque vt exstantiâ adhuc turrium vestigia præferunt, non ignobili ad radices montium loco, quò scilicet ab Aleria vrbe maritima, atque olim totius insulæ capite, Saracenorum appulsibus & excursionibus oram illam depopulantium, & grauis cœli incommodis afflicta, Majores ejus se receperant, natus est IOSEPHVS CARLOTTVS, an. MDCXXXIV. mense Martij, nocte quam S. Iosepho dicata dies secuta est, vnde & nomen adeptus. Vix quartum expleuerat annum, cùm ejus parentes, nescio quid plusquam illius ferrent ætatis primordia, in eo conspicati, auunculo ejus, quem vitæ sanctimonia plurimùm apud suos commendabat, extra paternam domum educandum tradidere. Pueri ingenio diligentia auunculi respondente factum est vt octennis de Grammatica cum majoribus natu certaret. Ita autem ad Musas natus vt cùm nondum scribere cursim didicisset, Etruscos versiculos, secretiorem nactus locum, atque intra se cogitabundus obambulans, mira quadam facilitate componeret, & callentibus scribere postmodum recitaret, quod & de

IOSEPH CARLOTTVS, CANON. PAT. PHILOS. MORALIS PROFESS.

latinis carminibus grandior vel deambulando, vel equitando, vel noctu, amoto jam lumine, facere consueuit.

Illud interea Parentis ejus animo insederat, vt validiusculam ætatem nactum, vltra mare, Pisas scilicet vel Genuam, studiorum causa mitteret; at hujusmodi consilium Patris morte interceptum est. Adfuit illi Parentis loco præceptor: A matre interea jacturam conjugis præsentia filij lenitura, domum reuocatus, si non altioribus disciplinis, pietate & probis moribus, quod caput est omnium, institutus est. Summus puero erga Deiparam cultus, & pręcipua sacram Lauretanam ædem invisendi cupiditas, quando sibi per ætatem & matris indulgentiam licuisset; quod factum aliquando est, deducente auunculo, ægrè tamen id patiente Matre, & spe data solliciti reditus. Genuam, Romam, dein Lauretum feliciter peruentum est, vbi acceptis literis de obortis in patria inimicitijs, & in gente vt ad iras & vltiones maximè prona, gliscente in dies discordia, de non redeundo tunc temporis admonentur. Hæsitatum per aliquot dies, num Romam, num Genuam vorsus retexenda via esset, an verò ad Venetorum ditionem immigrandum, quò magis propendere ductorem suum IOSEPHVS sentiebat, eo scilicet titulo, quòd ille antequam clericus factus esset, Veronæ tunc armorum sede, sub strenuis copiarum ducibus cognatis suis militiæ rudimenta posuerat. Placuit per sortes in ipsa Lauretana domo rem decernere, quod (quamuis nec incuriosum nec a pietate alienum sit) nimis longum minutumque si narretur, videri quibusdam posset.

Ad has igitur terras, sortium lege, properant; Ventum primò Patauium est, & ad Gymnasium per complures dies manè itatum ac vespere: Placebat puero latini sermonis non ignaro illa loci rerumque facies, viuaxque ingenium vtcunque auditionibus illis recreabatur. Professores eximios quos tot plaudentium voces & ingenuæ juuentutis acclamationes, accedentes & recedentes excipiebant, intra se beatissimos reputans, quadam bene de se audendi titillante gloriola & confidentia. Quis sit, mi senex, ad ductorem suum aiebat, an & ego inter hos bellè togatos & manicatos homines aliquando recenseor? Insederat quippe illi tunc annos XIV nato, ingens litterarum amor, & præsertim eloquentiæ, cui sub non pœnitendis præceptoribus e congregatione Sommasca Veronæ, & demum Venetijs apud PP. Societatis Iesu, post auditam olim philosophiam operam assiduò nauauit.

Morte inter hæc correpto auunculo, sibi vni IOSEPHVS relictus est; at prouida rerum omnium disponente cura, quem vnus reliquerat, non pauci qui eum excipere non tantum vellent sed maximè cuperent, inventi sunt viri Proceres, & præcipuè ex Venetis optimatibus, qui & in conscribendis epistolis, qua in re plurimùm commendari jam cœperat, & regnatura capita amœnioribus literis instructuro vsi sunt, adeo tamen illis gratiosus, vt ipse vel in filium adoptatus videretur:


Veronæ sacris ordinibus initiatus, & ratione vt aiunt beneficij, Clericus Veronensis factus, ibidem sacris altaribus est admotus. Hac fama & moribus, summis

viris commendatus eſt, cujus rei teſtem ille ſplendidiſſimum non ſemel recitat Hieronymum Baſadonna, ſenatorem ampliſſimum, nuper archi-Lycei Moderatoribus additum, & cujus munere poſt accepta olim plurima beneuolentiæ & liberalitatis argumenta, ad Moralis Philoſophiæ cathedram, obitu celeberrimi R. P. Macedo vacantem, an. MDCLXXXII. euectus eſt.

Placuit placetque adhuc hiſce moribus litterarum patrono, veræque pietatis aſſertori Gregorio S. R. E. Cardinali Barbadico, Patauino Epiſcopo, a quo vt ſibi eſſet a ſecretis ſponte olim accitus fuerat. Inde nobilium Venetorum collegio datus Rector, difficillimam alijs viſam prouinciam non mediocris prudentiæ laude geſſerat, quam Cardinalis vota viri præueniens, cùm nihil a IOSEPHO rogaretur, plura congerens luculenter remunerabatur, donec ipſum illuſtrioris loci munere & dignitate augeret. Id quod factum eſt, Canonicorum ſcilicet Patauinorum inſigni conſeſſui, nulliſque non temporibus virorum generis & litterarum præſtantia clariſſimo adſcriptum, datumque Io: Bapt. Vero, Canonico Pœnitentiario, annis & meritis pleno, coadjutorem: Cùm ante hæc honorificentiſſimo Senatus diplomate, Venetę ciuitatis jure donatus eſſet.

Ad hæc honora virtutis & fortunæ decora, proximè ſecuta eſt ſacræ doctrinæ laurea, promouente Reuerendiſs. P. Mag. Fel. Rotundo, Theologo primario in via Scoti, tum etiam Patauino Theologorum collegio acceſſio.

MICHAEL ANG. MOLINETTVS.



OLINETTI nomen non Patavij tantùm aut Venetijs, ſed in tota litteraria Republica clarum exſtiterat, ante MICHAELIS ANGELI natalia. Ejus ſiquidem parens Antonius, tum Theoricæ medicinæ tum Anatomes Profeſſor primarius, factis dictiſve ſuis omnium aures & animos jucundiſſimè allexerat: Quin & eleganti libello DE SENSIBVS ET EORVM ORGANIS, famam apud remotiores amplam ſibi conciliauerat.

Ex eo natus eſt MICHAEL ANGELVS, de quo veriſſimè prædicari poteſt illud Amabilis adagium, *Patris eſt filius*, adeo virtutes, mores, eruditio, aliaque quæ patri ſingularia erant, in filium migraſſe videntur. Natus eſt an. MDCLII. Iulij VII. vix tardiùs ad medicinæ decus quàm ad intuendam lucem. Primis quidem annis, diligenti Parentum cura, ijs omnibus inſtructus eſt quæ non ad doctoratum modò, vt vulgò fit, ſed & ad elegantiorem doctrinam quoslibet deducerent.

Abſente Patre, an. æt. XXII (quò Antonius in Bauariam a Ser. Electore vocatus iuerat) eò exiſtimationis pervenerat, vt qui Patris vices obiret ab Excell. Aca-

MICHAEL ANGELVS MOLINETTVS, VENETVS, CHIRVRGIÆ PROFESSOR

demiæ Moderatoribus designatus fuerit. Et successisset, opinor, ingeniosissimo juueni honorificum illud decretum, ni pater tunc temporis redux officium suum intermittere noluisset. Hanc intempestiuitatem, MICH. ANGELI famæ noxiam excepit alia calamitas; è viuis paulo post decedente Adelaide, Ser. Bauariæ Electoris Conjuge, quæ ipsum in suum Medicum adsciuerat: Hac enim occasione, Assistentis Medici in xenodochio Patauino onus susceperat, vt frequentissimo artis exercitio, ijs suppleret quæ ab ætate negabantur, Principibusque vtiliter inseruire mereretur.

Mirum in modum illi profuit a Parente manuduci, quem continuum & familiarem præceptorem habuit: Eum siquidem multis in peregrinationibus comitatus est, quem ægros curantem imitari destinabat. O egregiam Malabarum legem, qua quisque paternam artem exercere tenetur; sic enim disciplinæ integræ conseruantur, nec adeo difficile est aut eas industriè callere, aut inuentis etiam majora præclarioraque superaddere.

Publicum sui dedit testimonium an. MDCLXXIX. in anatomico Venetiarum theatro, quippe cum abditiores corporis humani machinas dexterrima subtilitate dissecuisset & demonstrasset, amplissimum sibi fecit ad litterarias dignitates omen, quod euentus non fefellit. Vacanti enim chirurgicæ professioni in 2. loco, consentientibus omnibus Academiæ Moderatoribus, atque paulo post Excell. Senatu, ei præpositus est, anno MDCLXXXI.

LVDOVICVS DE SAXONIA.



Etustissimę nobilitatis fuisse familiam de Saxonia ex publicis tabellis non minùs quàm hominum ore satis constat, quippe quæ tribus abhinc sæculis, suscepto Maripetrorum nomine, Venetijs multisque alijs in locis claruit. Viros produxit Marte Musisque omni tempore memorandos, è quibus magnanimitatem hausisse videtur LVDOVICVS, Patavij natus, an. MDCLVII. Litteratorum mentionem hîc fieri, libelli argumentum postulat.

Petrus I. V. Doctor, Ducis Saxoniæ Consiliarius, Iurisprudentiæ excellentia, meruit sui stemmatis cassidi Virginem addere manibus ambabus lauream coronam gestantem; cum hoc lemmate: IVPITER MERENTIBVS OFFERT.

Henricus & ipse Legum Doctor, relicta Saxonia, Patauium se contulit, vbi ob eximiam probitatem aliasque præclaras dotes inter Patauinos Ciues relatus est.

Benedictus, ejusque filius Victor, ex ijs nati qui Venetijs commorabantur, pro Ser. Republica Ianuam, Neapolim atque in alias vrbes legati missi sunt, ejusque autoritatem, vt decus suum, enixè procurauerunt. Vi-

LVDOVICVS SAXONIA, NOB. PAT. THEORICÆ EXTR. PROFESSOR

ctoris hujus Victor filius posthumus, primus ex Maripetris collegio Philosophorum & Medicorum, tanquam ciuis originarius Venetus, an. MCDLXXI adscriptus est, & Medicinam in academia Patauina publicè professus est. Vxorem ille duxit Elizabetham, Henrici de Saxonia filiam, cujus nomen & bona, ita paciscente Henrico, lubens suscepit.

Victori successit Hieronymus, qui & ipse medicinæ Doctor, Ragusium magno stipendio accitus est, postea verò in patriam redux, parentis sui vestigijs insistens, diu medicinam docuit. Hujus frater Samson primus ex familia de Saxonia, Iuristarum, vt vulgò dicitur, collegio nomen dedit: Fuit hic etiam Sixti IV. Pont. Max. Datarius.

Hieronymo filij fuerunt Franciscus & Ludouicus: Hic phil. & med. Doctor, atque publicus Professor. Ille causidicus celebris, cui non exigua accessit fama, libello Hetruscè scripto, *de laudibus palatij Patauini*, alteroque *insignia Venetorum qui hactenus Patauij præturam obtinuerant* continente.

A Ludouico Hieronymi filio ortum habuerunt Victor & Hercules, viri æternùm memorandi quorum virtute ingens accessit Patauio gloria. Victor quippe Legum Doctor, Feudorum materiam publicè interpretatus est, ab an. MDLXXXV. ad an. MDXCVI, quo criminalia docenda ei demandata sunt. Hercules verò tam in medendo quàm in docendo singularis fuit, & nomen æternitati sacrum esse meruit. Ejus operum multa sunt edita quorum excellentiam nona nuper facta

editio abundè testatur. Verùm nullus ex ejus temporibus superest qui quantum in exercenda medicina valuerit viuens testari possit: Hæc omnium consensu fama illi superstit, quotquot Venetijs, Patavij, atque etiam in tota Italia gravissimis occuparentur morbis, ad Herculem hunc confugisse, a quo veriùs quàm a priscorum ἀλεξικάκῳ, salutem recuperauerint: Oh præstans medicinæ donum! quo vt loquitur Plato, homo ἰσόθεος nuncupari meretur.

Victor vnicum habuit filium, Ludouicum, Philosophiæ Doctorem, at heu! virtutibus eruditioneque plenum, in extremo senio constitutum. Hujus filius Hercules medicinam per plures annos publicè interpretatus est, sed domesticis grauatus negotiis, atque in praxi medica occupatissimus, professionem tandem abdicauit: Et hic est LVDOVICI parens qui filium tam accuratè docuit & educauit, vt a Maiorum tramite non recessurum confidam, sicque ad magna natum spes vt mihi sic suis exstet amplissima. Iuuenis admodum philosophica medicaque laurea donatus est, ac illico ferè, theoricam extraordinariam docendi munere in tertio loco, prout Nobilibus Patavinis id ambientibus, cùm locus vacat, conceditur, quod iam hoc anno MDCLXXXII. egregiè suscepit.

AVGVSTINVS PIVATI, ASOLIENSIS, MEDICINÆ PROFESSOR

AVGVSTINVS PIVATI.



A Solum agri Tarvisini oppidum AVGVSTINI PIVATI patria est, quem in lucem dedit an. MDCXLIV, majorem fortè ab eo receptura. Studijs idoneum cùm se maximè etiam à pueritia monstraret, philosophiæ medicinæque sacris applicitus est, quarum suo tempore, lauream duplicem emensi ritè curriculi præmium reportauit.

Vt artis operibus maturè sese exerceret, atque præcipuè iuxta Paracelsi opiniones, quibus inuestigandis strenuam dedit operam, Patauino xenodochio intromissus est, Medici *assistentis* vt vulgò nuncupant titulo, dirigendis scilicet ægrotantibus, quo tempore abessent ejusdem Medici, exequique juberet quod illi præscripserant. Laborem quidem magnum, at non minùs necessarium esse quis non videt? Certè tacere hic nequeo, quę vel in minimis splendet, LVDOVICI MAGNI Regis Christianissimi sapientiam, de qua plura dicerem, ni, vt Gallus, Regi meo Optimo adulari viderer, cujus nuperrimo decreto, juuenes regni sui Doctores praxim medicam per quatuor annos in oppidis paruisque vrbibus exercere tenentur,

priusquam magnarum ciuitatum collegijs aggregentur; exceptis solis Academijs, inclita Parisina, & celeberrima Monspeliensi.

Ab hoc quantumvis vtili studio, cui per octennium vacauerat, ab Ill. & Excell. Io. Mauroceno auulsus est: Is quippe ad Portam, vt vocant, Ottomanicam, Ser. Reipublicæ Legatus dictus (*Bailo* vulgò nuncupatur) AVGVSTINVM secum deducere decreuit, quo medico vteretur. Tanti viri electione, quantum gloriæ accessit AVGVSTINO, quæ vires exin eundo perpetim acquisiuit! Quinquennio quippe quo Constantinopoli versatus est, præcipuos aulæ Magnates ita sibi deuinxit, vt ipsis amicus æquè ac Medicus haberetur. In intima conclauia, atque quem Oecum Regium cum Vitruuio nuncupare possumus, virtute sua aditum fecit, consociata vocis instrumentorumque modulatione, cui seuerioribus vacantibus Musis, animum oblectando, tempus interdum concesserat.

Principibus placuisse viris non vltima laus est.

At vnius Io. Mauroceni suffragium certè Turcarum omnium votis præferendum est, quippe quantum intelligentia prudentiaque possunt, solum illud complectitur. Hoc in tanti Herois gloriam hic transcribi concedatur, Christianis omnibus illum vtilem maximè fuisse, Venetisque præcipuè ac eorum amicis, quos ope, opera, & opibus fouere nunquam intermisit, vt de priuatis tantùm officijs mentio hic fiat, quorum numerum, adeo magnus est, innumerum esse censent. Rei optimè gestæ testimonium publicum ab amplissimo

Ser. Reipublicæ Consilio editum est, collato illi tum Byzantio degenti, munere Procuratorio, quod vt omnibus innotescit, Patrum Patriæ summum est decus, eò de repente mandato nauigio, quod tantum honorem significaret.

Redux ille Venetias, non tam citò AVGVSTINVM a se diligi declarauit, quàm quisque hunc id meritum fuisse cognouerit: Et sanè vix patriam AVGVSTINVS salutauerat, quin a Ser. Mutinæ Ducissa, tunc in Belgio valetudinaria vocatus fuerit, è qua tamen post XVIII. menses discessit, medicinæ professionem suscepturus, ab Excell. Academiæ Patauinæ Moderatoribus ipsi decretam, scilicet Auicennæ interpretando destinatam, cujus initium fecit hoc an. MDCLXXXII. Fama est hunc ita Sereniss. Mutinæ Ducissæ placuisse, vt si quid vnquam sinistri valetudo ejus patiatur, denuo aduocatum iri: Quin & ipsam cupere AVGVSTINVM instanti filiæ suæ puerperio interesse: Hæc autem Eboracensi Duci nupsit, qui Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis frater est. Sed futura curiosè nimis non scrutemur; potiùs manum de tabula.

FINIS.

INDEX

PROFESSORVM DESCRIPTORVM

in hoc Lyceo Patauino.

Finis Indicis.




Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato, *LYCEUM PATAVINUM, AUCTORE CAROLO PATINO EQUITE, &c.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Catolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza, che possa stamparsi osseruandosi gl'ordini &c.

Data li 12. Giugno, 1682.

{ Gerolamo Basadonna, R.
{ Leonardo Pesaro, P. & R.
{



Gio: Battista Nicolosi, Sec.

